Amico e fautori
Celeberrimo ...

COMMENTATIONIS
DE
PRINCIPIIS
E QUIBUS REDITUUM DANIAE PER POSTERIOREM SECULI XVIII. PARTEM ADMINISTRATIO FLUXIT

SPECIMEN PRIMUM

QUOD

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

IN

ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA

CONSENTIENTE

PRO

SUMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBUS

RITE ADIPISCENDIS

SCRIPSIT

DAV. C. NATHAN-DAVID

HAFNIENSIS.

GOTTINGAE (1823)

TYPIS FRIDERICI ERNESTI HUTH, TYPOGR. ACAD.

PROOEMIUM.

Scientia illa, quae opulentiae publicae naturam et causas explorat, et, quid summa potestas eo conferre debeat, ut illam evehat, iisque, quae civitati necessaria sunt, satisfaciat, docet: non solum doctiorum animos ad veri in hac quoque re investigandi studium excitat, sed civibus quoque et regnis, quia praecepta ejus ad hominum vitam potissimum spectant, utilitatem praebet. Principia, e quibus fluit, viam monstrant, in qua populus, ductus a moderatore, in hoc munere sibi felicitatem et verum virium exserendarum campum contigisse praedicante, ad eum potentiae et auctoritatis, roboris et opulentiae modum tendat, qui civitati per quamvis ejus aetatem sensim excolendae et promovendae quammaxime conducit.

Si civitas solitaria esset, e continua reliquarum serie exemta, et a corpore, cujus ipsa membrum est, avulsa: si singuli po-

puli, a magnis rebus, omne genus humanum quassantibus, intacti, otiosi sibi tantum plane excolendis indulgere possent, principiis illis persequendis vera eorum felicitas certissime pararetur. Sed quam saepe summa potestas eam viam, quam securitatis et opulentiae inveniendae causa doctrina monstravit, deserere cogitur? quam saepe impedimenta, quae humana prudentia ante animadvertere; quam saepe res, quas hominum vires propulsare non possunt, consiliis se objiciunt, quae in validis scientiae fundamentis nitentia civibus firmitatem et securitatem condant!

Nam civitas per tempus, quo viget, non magis solitaria, neque ab aliis separata est, quam vita hominum singulorum. Unum vinculum civitates jungit, ad unum eorum studia terminum contendunt. Ut solitudinem hominum, ita sejunctionem civitatis indoles non fert; et si forte pertinacia sive res fortuitae id monstri protulerint, naturae legibus refragatur, contra se ipsum pugnat, et, dum oritur, interitus semina jam gerit.

Quae igitur e magnis rebus, terras vehementer concutientibus, in sin-

gulas civitates ingruunt, civiumque studia perturbant, opulentiam eorum felicitatemque graviter tangunt: ea neque summae potestati, quae civitatem e reliquarum serie et implicationibus ab ipsa natura institutis evellere non valet, crimini vertere licet, neque principia, istas in placido rerum statu regentia abjicere sive dissolvere possunt. Nam quis scientiam, qua velorum in navigatione usum docemur, ideo contemnat, quia in ventorum tumultu et undarum collidentium anfractu nihil opis ferunt?

Sed haec extrinsecus in civitatem invadentia, sola neque erant neque sunt, quae veris de opulentia publica legibus tam acriter se objiciunt, ut summae potestati ex rationibus potioribus, quales civitatis salus et firmitas, optio nulla detur, his legibus adhaereat, an alias sequatur. Praeterea in hac etiam scientia, sicut in omni doctrina humana, usu venit, ut per falsa ad vera, per pejora ad bona veniamus. Diu tales ejus rationes obtinuerunt, quae, nesciae verae divitiarum publicarum naturae, non ad omnes populi vires eodem modo excolendas contendebant; unde quidem nonnulla, quae fausta et felicia esse videbantur, statim pro-

cedere, ut opulentia publica in longum tempus fundamenta petere non potest. Una ex his rationibus, ut ipsi obtemperaretur, eo quammaxime incitabat, quod subsidia, quibus summa potestas ad sumtus in civitatem necessarios egebat, sola posse parare videbatur.

Verum ex illa civitatium conjunctione et quasi contextu etiam hoc oriebatur, ut, cum majores rationem istam amplexae essent, ceterae etiam prae aliis probare deberent; quod eo magis factum, quoniam singulis, qui publicae regni divitiarum curae praeerant, suae tantum utilitati studentibus favebat. — Tanta igitur causarum varietas effecit, ut verae de populi opulentia leges vel sero demum in rerum publicarum administrationem vim suam exsererent, vel iis pareri non posset.

Sed ut, quae experti sumus, sine fructu perire nefas est; ut tempora elapsa emolumentis et praeceptis salubribus futuris consulere debent; ut verae de rebus publicis doctrinae via sensim munienda est: ita causas illas, quae publicae populi opulentiae pari modo officiunt, ut accurate distinguamus, enitamur necesse est; nam quae falsa, inutilia et perniciosa e priore praeceptorum serie pro-

cesserunt, in verae doctrinae lance diligenter et severe examinata, reprobari debent.

Accedit, quod civitatis administratio, quae nihil unquam regni salute antiquius habet, si vera principia, e quibus publica opulentia ducitur, jam praeferens, vitiosa omnia ex istis temporibus relicta tollere perpetuo studet, in omnium animis sui amorem et curam excitabit Sed cum causae etiam, quae administrationis studia retardare et inhibere necessario debebant et ab ipsa removeri non poterant, aperiantur, vinculum inter civitatem et populum eo magis constringitur; nam tum perspicimus, quam injuste saepe administrationi consilia ut sua tribuantur, quae invita adeo sequi coacta est. Verum scientiae sanctitas et grave rei pondus semper spectandum est; neque scelesta cupiditas unice vitia indagandi et deprehendi, ut ea notemus, animi aciem nobis praestringat; neque sententias, quae ab una tantum parte rem tangunt, argutiarum subtilitate evincendi studia mentem in veri et utilis perscrutatione occupatam abripiant.

Pauca haec praemittenda esse duxi, non quo me de placitis meis excusarem, (nam quid opus, cum regni administratio, meliori re-

rum cognitioni imbuta, veritatem unice colat?) sed ut rationem indicarem, ex qua, quae in hac commentatione disquiro, spectaverim.

Quod regni administratio non ea semper consilia sequebatur sive sequi pergebat, quae, ut veris de rerum publicarum tractatione legibus probatissima, ad civitatis felicitatem et opulentiam provehendam semel delegerat: crimini ei dari ex supra disputatis non potest. Nam administrationi non iis semper consiliis se addicere licere, quibus vel ipsa velit, ut, quae benevolentissime cupit, efficiantur, non minus humanum est, quam ut summa potestas falli sive in errorem induci possit. Ingenii enim aetatis suae non expers, et, quia singuli eam conficiunt, singulorum etiam sententiis et erroribus obnoxia sit necesse est. Vera haec palam praedicare non erubesco. Sensim et per longam temporum seriem scientia oriebatur et increscebat secula praeterierunt, antequam plane excolebatur; et quis negabit, postera demum hominum genera multa perspectura et penitus intellectura esse, quae nunc opinionum erroribus et tenebris obvoluta sunt?

Dania, cum Christianus VII imperium capesseret, gravi aeris alieni onere premebatur. Friderico quidem IV (a. 1730) mortuo, tricies centena imperialium millia in aerario servabantur; verum triginta sex annis post, cum Fridericus V, ejus nepos, decederet, amplius 20,000000 imperiales aeris alieni conflati erant 1).

Quod cur ita factum sit, licet et Christianus VI et Fridericus V, per quod tempus imperium tenebant, terrae saluti prospicere magnopere studuerint, causae diversissimae erant. Ejus enim, quae principis Glueckburgii erat, insulae Aeroe partis emtio; sumtus in ducatu Ploenii suscipien-

1) *Büschingii Magazin für neuere Geschichte u. Geographie.* P. XVII. p. 25. In ipsa terra 12,370847 impp. debebantur. Haec aeris alieni summa paene concinit cum ea, quae in iis, de quib. inter cognitores conventum erat, die 27 Maji a. 1771 ad regem datis, (primum impressis apud Büsching. P. XIV. p. 46.) indicatur. *Snedorf vde samlede Skrifter.* vol. IV. P. 2. pag. 321. eam ad 26,000000 impp. adscendisse putat, adstipulante Hoestio in historia Christiani VII.

do facti; munera barbaris piratarum civitatibus oblata, ut mercatura, quam Dani in mediterraneo mari faciebant, juvaretur et firmaretur; classis, quae per bellum septenne navigationem tueretur, et exercitus, qui hostium incepta observaret, in Holsatia instructus; summae denique contentiones, quas cognitus Petri III, cum Russiae imperium aggressus esset, hostilis in Danos animus regno extorsit: ea, inquam, omnia tantas pecunias consumsere, quantas soliti civitatis reditus suppeditare nullo modo poterant. Atque haec, publicas Daniae divitias necessario tangentia, ita comparata fuisse patet, ut, etsi rationes e redituum publicorum prudenti administratione petitae suasissent, aliud consilium iniri plane nequiret, quam quod civitatis salus et cura, ne populi arbitrium exteris fieret obnoxium, monstrabat. Sed alia etiam erant, quae ad istarum conditionem magnam vim habebant: Christiani VI aula prodiga; sumtus, qui in magistratuum mercedes et beneficia in emeritos conferenda impendebantur, multis modis aucti; ingentes impensae in exstructionem regiae, Christianiburgii sitae, et Hafniae exornationem factae; jacturae e camporum desertorum, in Jutlandia longe patentium, cultura, aliisque ab his regibus similiter institutis ortae, quarum sarciendarum spes, eaque incerta, in longum tempus differenda erat; literis atque artibus, non solum excitando earum studio, sed subsidiis quoque, quae hominibus in eas incumbentibus parabantur, ita prospectum, ut immor-

talis inde Friderico V gloria exsisteret; sed ardentissima literas provehendi et subditorum ingenia excolendi cupiditas ita eum abripuerat, ut nullam opum, quibus civitas nobilia ejus consilia exsequi sine detrimento posset, rationem haberet; porro, cum fabricae magnis subsidiis adjuvarentur, grandes pecuniae, quae ad emendationem interioris civitatis status et ad industriae in agricultura piscatuque exercendo positae incrementa adhiberi debebant, sine vero civitatis commodo perierunt; tum mercatura, monopoliorum vinculis adstricta, graviter laborabat, et crebra, tanquam tempestatum, sic consiliorum in ea sectandorum commutatio magis etiam artificiosorum eam provehendi conatuum eventus imminuit. Nam quaecunque in illa re fiebant, principia e mercaturae rationibus petita ostendebant, studia prae se ferebant, quibus civitatis administratio nova commercia institueret, novas mercatuum vias inveniret, novas societates jungeret; in omnia denique civitatis administratio se interponere, ipsa moderari omnia voluit; sed quoniam opes regno deerant et rerum affluentia, non statim, quae imperabantur, e sententia benevolentissimorum civitatis administratorum perfici poterant. Commercia cum Oriente et Maroccensibus condere voluerunt; sed e malo acerrimorum conatuum successu facile intelligebatur, non aliter florere posse mercaturam, quam si, intacta ab aliis, suo more procedat. Quam incertum vero, quam inutile fuerit ad veras opes civitati affe-

rendas istud de mercaturae instituendae ratione consilium, e nulla re magis patet, quam e Constitutione, 16 die Septembris a. 1735 edita, quae liberum frumenti mercatum Daniae sustulit 2); nam, etiamsi feceris, hanc constitutionem agrorum cultui et felicitati terrae minus obfuisse, quam obfuit, neque a falsa opinione 3) profectam esse, quomodo tandem concessa mercium exportatio, quae non vigebit, nisi inter compertum habentes, se turbatum non iri, regno utilis esse poterat, cum per 26 annos (a. 1739 ad 1765) 31 constitutiones 4), quales necessitas vel vera vel animis ficta diversis temporibus protulerat, ad eam artificiose regendam ac moderandam promulgatae fuerint? quomodo frumenti mercatus, Daniae maximus ejusque opulentiae convenientissimus, muniri poterat, cum moderatio ista quodcunque grandius inceptum, sive in ipsa terra, seu cum peregrinis ageres, reprimeret? Mercatura cum coloniis et provinciis borealibus facienda certis societatibus tradebatur, sive a singulis quibusdam aerarii publici commodo administrabatur; istis quidem maxima tribuebantur privilegia, quae splendidam coloniarum conditionem et patriae commercia opulentiamque frangebant. Haec et breve tempus, per quod nonnullae societatium modo memoratarum vigebant, et numerus

2) *Schow Udtog af Forordninger.* P. II. p. 182.

3) *Martfeldt om Kornhandelen.*

4) ibid. pag. 21-25.

earum celeriter, licet magna iis emolumenta concessa fuerint, se excipientium, satis puto probabant, necessario exstingui commercia omnia, quae non ex se ipsis incrementa capiunt, sed potentiorum consiliis finguntur. Quam male vero ipsi aerario monopoliis istis consultum fuerit, quanta cum cura id solum egerint, ut legibus, quas eo tempore mercaturae scripserant, satisfacere studerent, perspicue docet societas ad universam Daniae mercaturam dirigendam juncta (*Allgemeine Handels-Compagnie*), quae commercium Islandicum septem imperialium millibus locauerat, et ab administratione civitatis itidem septem millia ad mercatum Groenlandicum (nam et in hoc monopolium isti tribuebant) porro faciendum accepit.

Mercaturae per seculum decimum sextum status et istorum temporum conditio, quae Batavi per societates publicas (*octroiirte Compagnien*) inceperant, admodnm prosperaverat. Hinc Angli, qui Batavos negotiantes, anteqnam eorum aemuli facti sunt, ut exemplar ad imitandum sibi proposuerant, societatium institutionem egregie eo conducere putabant, ut ad istorum opulentiam accederent. Itaque monopolia Elisabethae et Stuartis ad pecunias, quibus pro diversis consiliis egebant, conficiendas admodum idonea visa sunt. Similiter Colbertus, qui, egregia nova indagandi indole natus, Francogallos ad altiorem inter civitates, quae colonias possidebant, locum provexerat, suas aevique in hac re sententias, et rectius

quidem, quam alii, sequebatur; nam mercaturam ab ipso primo institutam etiam ab ipso per societates monopoliis instructas regendam esse existimabat. Num igitur mirum, si minores civitates, quae ineunte seculo decimo octavo in majorum colonias se insinuare parabant, eadem, qua potentiores isti, via ingrediebantur? Num mirum, si Daniae, a Friderico IV rege locum inter civitates mercaturae studentes adeptae et in illarum via incedentis, administratores victus quaerendi rationem, quae largos, magicae virgae instar, opulentiae fontes aperire potest, sed, ut firmitate gaudeat, libera esse nec ab aliis tangi debet, consiliis parum e rerum conditione ponderatis, nunc exili cura et nimia cautione, nunc audaci coecaque confidentia tractabant? Hoc quidem ita fecerunt aliorum rationem imitantes; sed mercatura, quam civitatis administratio e suis consiliis regere ac sustentare non intermitit, plantis in hypocausto alendis simillima est; nam ita celerius quidem fruges ad maturitatem perductum iri spes est, sed neque eo sapore sunt, neque ea validi succi abundantia, quali quae sub dio adolescunt; quanti denique sibi constiterint, de eo ille ipse, qui eas nutriendas curavit, vel cogitare reformidat.

Bernstorfius major natu, magnis civitatis Danicae administratoribus merito adnumerandus, cujus, dum rebus publicis praeerat, haud exigua in mercatura et civitatis pecuniis tractandis auctoritas erat, Colberti disciplinam, qua imbutus,

erat, per longum tempus in Francogallia commorans, 5), in dies ardentius amplecti coeperat. Itaque nemo mirabitur, prosperos successus, quibus res gaudebant, si quando a disciplina illa discessum fuerat, (e. c. cum, civitatis administratione a. 1754 permota, ut colonias, dum societatis, quae ab India occidentali Guineaque nomen traxit, sola ibi mercatum tenebat, admodum labentes, 2,239446 imperialium sumtu redimeret, libera mercatura statim efflloresceret) 6), inveteratam de monopoliorum in mercatura sustentanda necessitate persuasionem, eamque a potentibus viris defensam, animis evellere non potuisse.

Ex iisdem principiis ducta erat ratio, qua artificum industria et fabricarum opera regebatur: magnificas enim fabricas Daniae usui fore existimabant, quod et aliae majoresque civitates habebant, et pecunia praesens ita in alienas terras delatum non iri videbatur. Sed in mercaturae rationibus eo respectum non erat, quanti una quaeque fabrica regno constitura sit, neque animadversum, quanto minus lucri ex artificioso sortis operum ibi conficiendorum impensis insumendae usu (*Arbeits- und Capitals-Fond*) capturi essent, quam si, eam, ut natura rei ferebat, adhibentes, quae terra apud se progenuerit, rudia

5) Res summas Daniae administrabat Parisiis a 1744-1750.

6) *Thaarup Udförlig Veiledning til det danske Monarkies Statistik.* P. V. p. 645.

cum mercibus, quae ab aliis aliarum terrarum populis pro situ et conditione sua facilius et melius fabricari possunt, commutavissent. Permulta, Christiano VI rege, instituta sunt, quae Danis fabricarum florem, sive, ut hodie significantius loquuntur, fabricationem conciliarent; sed primum, dubium esse non poterat, quin postmodo sponte exortura fuerit; deinde studium hoc, quod administrationis ars regno extorsit, aperte effecit, ut res plurimam jam tum ex fabricis utilitatem spondentes ab hominibus plane negligerentur; maximas denique pecunias, si simul mali multorum ingenti sumtu institui coeptorum successus memineris, inde terrae periisse videbis 7). Nam mercium istud receptaculum, sub eodem rege paratum, ex quo subditi omnia, quibus ad vitam indigebant, magistratus decimam salariorum partem petere 8) cogebantur, quid aliud praestare poterat, quam ut fabricae aliquot, de quarum rationibus male consultum fuerat, artificiose sustentarentur? At tum pejores merces majoris, quam si ex aliis terris importari licuisset, in ipsa patria emebantur. Quantum vero divitiarum sub Friderico V fabricarum iste amor consumserit, haud facile dixerim; Fabricius quidem quam impensarum summam tradit, ea nimia est; sed recentiores scriptores grave, quod ad

7) *G. L. Baden Udkast til en Historie af Danmarks og Norges Handel og Naeringsveie* p. 349.

8) *Riegels 6te Christians Skilderie.* p. 352.

aerarium habuerunt, momentum justo magis elevasse videntur; nam, licet magna illius regis de veris, qui in Dania aperiri possunt, opulentiae fontibus, de agricultura et piscatu, merita nullo modo debeant negligi, nimium tamen fabricarum studium, praesertim primis post regnum initum annis, statim cognoscitur 9). Ne multa, fabricarum magis singulorum arbitrio cogente, quam terrae conditione et rei necessitate suadente institutarum damna in eo praecipue cernuntur: quod vires et sortem, quae ita consumuntur, non in alia potius impenderint, quae fructuosioribus hominum occupationibus occasionem praebere potuissent debuissentque. Sed facile inducimur, ut pecunias, quibus fabricas paramus, pro fortuito habeamus damno, quod civitas aliis quaestibus faciendis haud difficulter sarsura sit; at intercidisse ita, quae utiliter eodem tempore alias fieri poterant, et intermissa saepe plus detrimenti civitatibus afferre, quam inutiliter coepta, non reputamus.

Multi peregrinos in fabricarum istarum institutionem arcessitos vituperarunt, tanquam si

9) *Olufsen Bidrag til en Oversigt af Nationaloeconomien i Danmark.* p. 215. pecunias fabricis sustinendis a civitatis administratione per annos 1736-1774 insumtas 800000 imperiales effecisse dicit; ipse tamen Bernstorfii defensor *in Materialien zur dänischen Statistik.* P. III. vel per solos 1746-1765 annos ad 700000 impp. summam adscendisse concedit.

omne malum ex uno alterove peregrino alendo ortum fuerit. Nimius iste foret patriae amor, si quis institutum aliquod, quia a peregrinis originem traxerit, minus utilitatis patriae ferre contendat; imo sane magnopere cavendum est, ne in peregrinos, qui quidem industria et opificiorum artiumque scientia pollent, in patria recipiendos gravius statuamus; ut olim e caeco quodam religionis amore magno opulentiae Danicae detrimento factum est [10]. Ab altera tamen parte, fabricas, ut recentiorum modo breviter dicamus, e physico et politico populi statu per se oriri debere, et, aliam quidem alia conditione, prout major seu minor sortis summa et manuum numerus huic usui relinquatur, orituras esse non dissimulamus; (nam secus si fiat, solerti rerum domesticarum curae, agricultioni et commercio intra terrae fines agendo sortem suam et opes viresque necessarias ablatum iri patet) tum etiam certissime sperari potest, in ipsa terra homines non ita paucos fore, qui sortem et industriam, si novi earum usus necessitas inciderit, libenter ei impendant. Accedit, quod plurima eorum, quae in fabricis fiunt, non tam difficilia sunt, neque tantum exercitationis flagitant, ut populus, in opificiis et artibus non plane cessans, inter suos cives invenire nequeat,

10) Quum multi Hugenottorum, rege Christiano V, in Daniam immigrare vellent, Bagersii episcopi et Masii confessionarii studiis prohibiti sunt.

qui ista fabricari possint; sicubi tamen hoc eveniat, fabricas ab hominibus alienigenis instituendas curare, artificium appellari debet admodum dubii eventus. At si forte peregrinum ad opera, quae ante in civitate confecta non erant, monstranda advocari necessarium fuerit, dissuaderi non debet, multoque minus contrarium ut patriae unice conducens probari potest: nam, ut mittamus artis peritiam, quae civitati divitiarum instar (*immaterieller Reichthum*) est, opes ab eo acquisitae in ipsa terra permanent, cum, prospero instituti successu, majore earum parte pro fixa sorte (*stehendes Capital*) utatur; et haec quidem non tam facile pecunia mutari, et in alias terras transferri potest, quam peregrini mercatoris in loco aliquo considentis bona.

Sed, quicquid fiat, fabricae non e paucorum impulsu et contentione, sed quasi sua sponte oriri debent; et tum quidem pro necessario progressu industriae, quam incolae in mercibus ex eorum, quae natura apud se gignit, copia conficiendis ponunt, recte habetur; hinc etiam intelligimus, eos, qui ad sericorum fabricas parandas, antequam lanificia in perfectione quadam erant, exhortabantur gentes boreales, studio praepropero neque recta ratione terrae saluti consuluisse.

Vectigalium leges sententiis, quas de mercatura facienda conceperant, convenientes in hoc tempus sanciverant: ea imponendi potestas tribuebatur, prout commercium in hac sive illa urbe institutum augere volebant; merces ab ipsis

opificibus seu a primis possessoribus petere imperabatur [11]); hoc enim semper et ubique utilissimum esse; sed vecturae compendia et cum loco, ubi merces a secundis possessoribus accipi poterant, (nam nihil ibi venditur iis, a quibus ante allatae sunt) e re sua negotiandi occasionem istud mercaturae rationibus statutum planissime rejicere, non reputabant; nisi forte solam invidiam urbium, merces a primis possessoribus ad alios traducendo opulentiam adeptarum, in causa fuisse dixeris; verum neque tunc damna, ex aemulatione et invidia aliis inflicta, ad ipsos auctores, ut in mercatura fieri solet, esse reditura senserunt. Igitur plurimae istae leges, quibus importari merces vetabatur, tantum aberat, ut fabricas adjuvarent: ut illicitae mercaturae, quae justam turbabat et aerario publico vectigalia subducebat, locum daret. Quaevis vero commercii ratio, quae mercaturam vetitam, ut inevitabile malum, civitati infert, (quod usu veniet, ubicunque partim littora longe porrecta diligenter custodiri nequeunt, partim grandia ob multa mercium genera, quae facile abscondi possunt, vectigalia mercatoribus imposita ad legum violationem invitant) non solum populi mores corrumpit, sed bonos etiam cives et industrios, qui malarum artium irruentium vi se abripi non patiuntur, omnes ad inopiam redigit. Nam qui in mercium pretiis statuendis vectigalium, quae religiose

11) v. Constitut. die 4 Augusti 1742 editam. §. 2.

pendit, rationem habere debet, is cum aliis, inhonesta via eadem sibi comparantibus, contendere non potest: ita nimia vectigalia plane eadem efficiunt, ac tributa, si quorum descriptio inique facta, multis justo gravior, industriam et probitatem tollit, et dolis malis fallaciisque fenestram aperit. Deinde certarum rerum in fabricis confectarum invectio plane vetita, cum fabricatoribus fere earum monopolium tribuat, vel singulos quosdam cum dispendio omnium locupletat, vel, ut experientia docet, palam impune fit, e. c. contra edictum e bombyce, lana et erioxylo a peregrinis facta ante omnium oculos, constitutis auctionibus, vendita sunt 12). Sed quid tandem de mercatura fieret, si istis traderetur, qui leges migrare non dubitant, vel si hominibus justis, qui lucrum sibi quaerentes patriae simul addunt, perpetuum esset periculum, ne ab aliis furtivorum itinerum ope callide sibi eripiatur? Omnis commercii flos ex securitate nascitur, probitate et integritate nutritur; nam has si abstuleris, pro valida arbore, quae fruges salubres demittat, gratamque diffundat umbram, plantam ales, quae humi serpens omnem civitati succum detrahet.

Totam, de qua modo diximus, machinam, artificiose conditam, mensa bancalis impulit.

12) v. *Sneedorfs samlede Skrivter.* P. II. p. 210. cf. Constitut. 19. die Februarii 1753. cum exordio Constit. die 20. Octob. 1755. editae.

Hinc Bernstorfius 13): Mensa, inquit, progressuum nostrorum auctor est. Neque infitias ire possumus, eam velut magica arte opes ad consilia de mercatura et fabricis exsequenda necessarias attulisse; quam diu igitur illa omnium plurimam terrae utilitatem praestare videbantu, tam diu, quae per mensam fiebant, effuse debebant laudari, neque eo respici decebat, quibus illa in rebus agriculturae, piscatui et commercio intra terrae fines faciendo usui esse poterat, neque eo, quae et quanta mala ita regno imminerent. Nam ad hunc usum (cui ab initio, et utiliter quidem, quam diu modus tenebatur, mensa destinata erat) addebatur alius, isque civitati periculosior; exemplum enim eorum, qui sub Christiano VI mensae praeerant, octaginta imperialium millia mutua se daturos regi negantium, antequam certum pignus auri vel argenti accepissent 14), per breve tantum tempus imitabantur. Ad annum quidem 1757 civitatis administratio pecunias non oppido multas mensae debebat, at a. 1763. 11000 imperialium millia; nam illis temporibus universum aes alienum, quo regnum premebatur, quadragies centena millia non multum superavit, sed a. 1763. ad 20,000000 impp. accessit.

13) *Memoire über das Commerce collegium* 1767. vide *Eggers deutsches Magazin.* P. I.

14) Rem narrat Riegels. l. c. p.

Instituti istius, ex quo mensa nummorum loco signa edi curabat, ratio Constitutione die 6. Octobris 1757. promulgata ita immutata est, ut cives signa ista in negotiationibus sine ulla tergiversatione accipere juberentur, redemtio vero eorum differretur. Ita schedularum a mensa editarum pretium inde potissimum pendere videbatur, ne totus earum numerus eorum, quae perpetuus usus in ipsa terra postulabat, modum (nos: *Circulationsmasse*) excedat; hinc exportatio argenti, quam non solum Constitutio illa peperit, sed aurei etiam Danici, tum male excusi, quibus efficiebatur, ut nummi argentei vel in manus adulteratorum, sub nomine: *Kipper und Wipper* nobilium, pervenirent, vel, utpote melior moneta, in alias terras transferrentur: argenti, inquam, nominibus apud peregrinos dissolvendis adhibendi exportatio impedivit, ne schedularum ratio (*Cours*) plane [15]) jaceret, quia ita pecuniarum in perpetuum usum necessariarum summa tantum excrescere non poterat, quantum si et nummi et schedulae in terra permansissent. Quaevis enim terra ad negotiationes in ipsa faciendas summae cujusdam indiget, quam populus, cognito, quae et quanta omnibus commerciis emolumenta paret pecunia, aegerrime desi-

15) v. *Tabelle des Cours für 1756. ff. in Schleswig Hollsteinisch. Provincialberichte. Jahrgang I.* pag. 24.

derat. Ea pecuniarum summa facile monetae naturam exuere et, si verum pretium spectes, nihil nisi vilia signa continere potest; nam dum ea non superat, quibus ad solita in regno commercia sustinenda opus est, opinioni de eorum pretio vix aliquid detrahetur. Qui enim tale signum, hodie acceptum, cras alii, cui non nisi ejus ope res ad vivendum necessarias satis facile sibi comparare liceat, tradi posse scit, is non curat, quando ista cum veris nummis permutentur. Sed si schedularum numerus eorum, quibus subditi ad perpetuum usum egent, modum excedit et reliquae peregrinis ad nomina expedienda offeruntur: tum exteri homines pro redemtionis spe, seu pro nescio quo usu, quem, alienum a vero earum fini, in commercio cum istis faciendo sperant, soli fere pretium iis statuunt. — Quam diu argentum in terra invenitur, necdum omnis civitatis administrationi fides abrogatur, ita, ut quisque sua ad rerum adversarum praesidium abscondat: tam diu istud peregrinis in nominum solutionem cedit; nam non tantum hi, quantum indigenae, partim more, partim usus in commerciis cum popularibus faciendi spe ducti, schedulis pretium constituunt. Ita igitur factum est, ut, cum a. 1757 schedularum numerus magnopere auctus esset, omne argentum e Dania necessario exportaretur, neque interdictum ullum hunc rei eventum prohibere posset; ipsa civitatis administratio fassa est, nihil effecisse constitutionem satis acrem die 17. Maji

1762. publicatam 16), — imo ne potuit quidem, quia temporis conditio auxilium longe aliud, ac vetitam nummorum exportationem postulabat. Et quomodo edicto inter aureos et argenteos nummos et chartam cusam constitui possit pretii aequalitas (*Pari*), cum, ut experientia nos docet, ne inter ejusdem quidem aeris ejusdemque pretii nummos lege sanciri queat, quin semper vel ab hominibus hoc sive illud eorum genus concupiscentibus et licitatione sibi parare studentibus, vel pro majore seu minore terrarum tractu, ubi in pretio habentur, aliquid de lege illa mutetur? Nonne istud etiam edictum, quo poena sancita cautum erat, ne quis collybo pacto nummos in regno tesseris emeret venderetue, aurum et argentum, istinc aversum, ubi signis incertis et jam labentibus aequabatur, eo extrudere debebat, ubi verum iis pretium tribuebatur?

Ut tesserarum, nimium in modum (praecipue post comparationem earum, quae imperialem unum valerent) 17), numero adauctarum pretium paene jacens restitueretur, mensa bis pecunias in Batavia mutuo sumendas curaverat, quas reuera civitatis administratio debebat, nisi quod ex ejus aere alieno septuagies centena imperialium millia in mensam transscripta erant. Pro his mutuo acceptis nummi argentei secundum

16) Cfr. exordium Constitut. die 4. Septembr. 1762. editae.

17) v. Constitut. modo laudatam.

veterem monetae rationem, e pura quidem libra 11⅓ impp. vulgarium (*Courant*) excusi et tesserarum pars redemtae sunt. Sed, licet pecuniam a. 1763. in majore pretio esse facile animadverteretur [18]), ratio tamen, qua aestimabatur, jam per proximum annum indicia malorum ostendit, quae consilia, in aureis a. 1757. et minoribus nummis a. 1761. excudendis probata, genitura sint. Isti enim cum ad duos impp. vulgares 56 7/10 assium auri continerent, quadrante (3 *pr. Cent.*) meliores emittebantur, quam pro auri pretio in foro usitato esse debebant [19]); et in his e centum speciebus, ut loquuntur, 18,299, in iis vero, qui a. 1684-1756. excusi erant, 12,579 comparabantur [20]).

Nonne igitur necesse erat, ut novi nummi graviores aut idem paterentur, quod leviores, margine praesecti et ad improborum trutinam exacti; aut cum vilioribus commutati a peregrinis conflarentur? Tum propriae utilitatis cupiditas majorem in homines vim exserit, quam quodcunque edictum:* siquidem invisa verbi sententia ad eum etiam pertinet, qui, optione data, mercem e. c. centum imperialibus emere velit, an quinquaginta aureis, his quidem malit, centum imperiales planissime valentibus, quam nummis

18) Cf. tabulam cit.

19) *Büsch. Abhandlung über Banken 4ter Anhang.*

20) *Eggers. Memoiren üb. dänische Finanzen* Tab. XII.

argenteis, nomine quidem centum imperialibus, at revera pretium 51¼ aureorum continentibus. Ita evenit, ut ob argentum pridem male excusum utilitatis, quam civitas e pecuniis istis mutuo sumtis capere poterat, bona pars periret: tam inevitabilia sunt mala, quae e falsis opinionibus, primo quidem lucri quadam specie mentes obcaecantibus, postmodum exoriuntur! Novum igitur hoc damnum ad vulnera, per sex annos discriminum plenos Daniae rebus inflicta, accessit. Magnae quidem tempestates per breve illud tempus in Daniam irruentes, neque solum tranquillum et quietum ejus statum acerrime miscentes, sed omnem quoque de rebus suis consulendi potestatem ei eripere minitantes, publicas pecunias magnopere conturbabant; dissimulari tamen non potest, per hos annos non ea, qua e rerum conditione decebat, peritia prudentiaque, neque e satis rectis rationibus reditus publicos administratos esse 21).

Ut istuc redeamus, non modo pecuniis, de quibus diximus, et decies centenis imperialium millibus, quae Hamburgii mutua acceperat, sed tributo etiam extraordinario, constitutione 23. die Septembris a. 1762. edita indicto, civitatis administratio aes alienum tollere studuit; sed

21) *Schlözer Staatsanzeigen* fasc. XXI. *defense presentée à S. M. le roi par le comte Bernstorf* 22. *Septembre* 1766.

mutatio brevi post facta [22]) (nam ante exactio capitum per singulos, exceptis inopibus, pari modo fiebat), ad legem illam gravis in oeconomia publica momenti, tributum per longius tempus pendendum non nisi in veris subditorum reditibus, deductis omnibus necessario expensis, (*reines Einkommen*) recte niti posse, respectum non fuisse ostendit; nam cum, tributo ista ratione descripto, ii maxime premerentur, qui ferre minime possent, opulenti in tanto civitatis discrimine non tributi, sed stipis collationem poscebantur.

Hac ferme tempestate, paucis annis ante, quam Christianus VII ad regnum accederet, vir illustris in publicarum pecuniarum administratione auctoritatem, quam per longam annorum seriem c tenturus erat, habere incepit. Nimirum in virorum, qui summae rei tributariae moderandae praeerant, collegio (*Oberschatzungsdirection*), a. 1764. instituto, receptus erat Henricus Carolus liber Baro de Schimmelmann. Deinde, cum a. 1768. tanquam ablegatorum princeps adscriberetur consilio terrae commercia gubernantium, (*Commerz-Collegium*) juncto cum iis, qui summae rei vectigalis curam gerebant (*General-Zollkammer*), ad mortem [23]) pecu-

22) v. Constitut. die Jan. 1764. promulgatam.

23) A. 1779. ad Comitis ordinem evectus, die 23. Januarii a. 1782. obiit.

niarum publicarum administrationis regendae particeps erat.

Diversissima sunt judicia, de hoc viro, quem Yves, rerum publicarum peritissimus, Daniae vindicem satis magnifice appellavit [24]), ab historicis Danis prolata. Principia, e quibus publicas pecunias tractandi ratio, dum penes Schimmelmannum omnis erat, fluxit, eo digniora sunt, quae accuratius excutiantur, quo opportunior erat status, quem Dania inter reliquas civitates tuebatur, dum belli incendium, in terris recens detectis excitatum, nostras etiam tetigit, atque adeo corripuisset, ni Bernstorfii prudentia et administrationis regni aequitas prohibuissent, ut inde consiliis, quae e rectis de oeconomia publica rationibus ducta essent, verae felicitati, opibus atque nervis civitatis in longum tempus prospiceretur. Nam quemadmodum in hominum vita non raro singula momenta fatum sibi quasi subjecisse videntur, ut e recto seu perverso eorum, fortasse nunquam redeuntium, usu omnia futurorum temporum vel mala vel bona pendeant: ita in civitatibus quoque est, cum ampla potentiae incrementa et valida opum confirmatio in eorum, qui summam potestatem tenent, manibus a sanctiore numine posita esse videantur.

Pauca tantum per primos annos, postquam Christianus VII ad civitatis gubernacula accesserat, in principiis, a quibus tum mercaturae et

24) v. ejus *Geheime Hof- und Staatsgeschichte Dänmarks* p. 20.

fabricarum moderatio pendebat, immutata sunt; nam quaecunque ad illud tempus obtinuerant, sententiis, quas Schimmelmannus in ista re sectari videbatur, tantopere conveniebant, ut mutationem eorum non suaderet. Causarum etiam, quae omnia opulentiae publicae studia mirum in modum retardaverant et inutilia reddiderant, certasque pecuniarum rationes plane sustulerant, princeps, cum Catharina Russiae imperium capesseret, tollebatur; tamen expeditio contra piratas Algerii degentes per annos 1769. et 1770. facta amplius decies centena millia imperialium consumsit, et in juvenis regis peregrinationes magnae impensae fiebant. Verum in ipsa civitate impedimenta, ne pecuniarum rationes stabilitae in firmum ordinem redigerentur, supra memorata adhuc obtinebant; et vel a. 1770. beneficia magistratuum emeritorum ordinaria 433237 imperiales 25) et, si extraordinaria et accessiones salariorum, quas rex e suo fisco indulsit, adjicias, octavam omnium civitatis redituum partem confecerunt. Neque cessabant impensae in alendos exercitus terrestres, quamvis pericula, ob quae tantum in modum auge-

25) *Büsching Magazin* P. XVII. p. 202. Sneedorfius, in ejus *samlede Skrifter* P. II. p. 186. e Tomo XIV operis Bueschingiani in annum 1770. memorat 98883 impp. beneficiorum istorum, addens: „Ea postea magnopere aucta sunt." Sed sine dubio inter expensa singularia Daniae, Norvegiae et Holsatiae beneficiorum tabulas jam comprehensas esse non animadvertit.

bantur, depulsa erant; imo, cum minui debuissent, multiplicari videbantur, et sumtus in eos facti, ante (a. 1764.) 1,742506 imperialium [26]), in tabulis proximo anno acceptorum et expensorum ut 1,948423 impp. [27]) indicantur, et in iis, quae a cognitoribus inventa ad regem die 27. Maji 1771. dabantur, et in harum rerum monumentis, postea impressis [28]), pro vicies centenis millibus post aestimationem habebantur. In aula regis luxuria dominabatur et victus magnificentia, quae, ut animorum cultus et melior rerum intelligentia fines, qui inter singulos ordines esse debent, sensim sensimque movere videbatur, inferioris quoque loci homines invasit. Et haec quidem impendia non modo in aulae usum grandes pecunias flagitabant, sed fontibus etiam rerum quaerendarum, in quibus omnia publicae opulentiae incrementa nituntur, detrimento erant; nam ceteri nobiliorum exempla eo celerius sequebantur, quo ditiores singulos et luxui illorum imitando pares monopoliorum lucra reddiderant. Administratio quidem civitatis ab initio istis gaudebat et crescentem luxuriam non infirmum fabricarum suarum columen fore arbitrabatur.

Si qua in terra rudia, e quibus res ad luxuriam pertinentes fabricantur, vel gignuntur vel admodum facile parantur, hic modus vitae lau-

26) *Urkunden und Materialien* P. I. praef. p. XVII.

27) ibid. P. I. pag. 307.

28) *Authentische Actenstücke* p. 142. a. 1777.

tioris et sumtuosioris apud inferiorum ordinum homines obtinens ad eorum industriam, quae, utpote progressioni popularis industriae conveniens, terrae sine dubio fructuosa erit, augendam multum conferet. Sed sicubi lauta ista vel a peregrinis magni emuntur, vel majore laboris et impensorum damno in ipsa terra difficulter fabricantur: sumtus istos populi opulentiae vehementer officere apparet. Alii quidem contra monuerunt, populum vitae cultusque lautitiem majorem, quam opes ipsius patiantur, non redditurum; auctiore potius, cum non nisi pretio ista a peregrinis vendantur, industria et contentione ea, quae sensim necessaria videri coeperunt, sibi esse comparaturum; si praeterea fabricas habeat, quod inde procedat gnavum hominum studium verum esse lucrum, et, si qua rerum commutatio infructuosior opus sit, in rudibus eam fieri, minusque pretiosis. Alii porro dixerunt: neminem tam dementem fore, ut, quibus non egeat, prius sibi paret, quam rebus, necessariis ad vitam in civitate agendam et opes suas conservandas, satis prospexerit: eodem modo populum nullum hanc dementiae notam subiturum; nam, ut res consumi non possint, nisi ante arte producantur, ita impensiore studio curaque produci, si celeriter consumantur. At, quamvis negari non potest, hominem ita a natura esse instructum, ut laborem sustineat fruendi gratia et ut cultioris lautiorisque vitae cognitione ad industriam et sedulitatem maximopere instigetur, nullo tamen

modo debet negligi, quibus in rebus gens magnificentiam victus affectet. Res caducae, merces, quae brevi pereunt, vel e quibus post primum earum usum ab aliis fructus capi nequit, ut quae, postquam nobiliorum luxui per unam alteramve diem, saepe horam, satisfecerunt, ne ab inferioribus quidem ut deliciae adhiberi possunt: talia summorum laborum fructus post breve tempus ad nihilum redigunt. Harum rerum quae animis fingitur necessitas, simul exorta est, non tam cito evanescit, ac caduca ista; „Tum novis fabricandis opera navari debet," facile quis respondeat. Sed labor, in illis positus, divitiis publicis plane perit; et subditorum vires, quibus ad illa conficienda utuntur, non in talia impenduntur, quorum acervatione ipsae adaugeri possunt. Quodsi hominum quorumdam labores, sive quae illi virium intentione praestare possunt, quasi in unum colligas, eorum summa certis finibus circumscripta erit, et hoc, licet verissimum, ii negligere videntur, qui neque aucta tributa neque effusiorem luxuriam publicam populi opulentiam et felicitatem minuere contendunt; nam quae modo memoravimus eam vim in homines exserere opinantur, ut, cum rebus ad vivendum necessariis carere non possint, quae praeter istas tributa et luxuries flagitent, majore virium contentione cogantur acquirere. Verum nonne tunc, etiamsi haec istis largiamur, populi opulentia, rebus optime cadentibus, eodem in loco, quo ante erat, resistet? unde peterentur opes et sub-

sidia, si forte periculis ingrudentibus prudenter occurendum, si vulneribus pridem factis feliciter medendum esset? Ubi vero praeter ista charta cusa pro divitiarum publicarum parte est, res multo magis anceps et dubia evadit; ibi enim eodem modo ea, quae divitias simulant, augebuntur, et dilabentur ipsae, quo luxus labores sibi arrogabit, quos in illas servandas et accumulandas insumi oportebat. In quibus quidem terris solo argento omnia solvuntur, nemo facile ea expendet, quae ad res quotidie sibi necessarias requiruntur, quo supervacanea emat: hinc non magis pecunia praesens ibi plane exhauriri 29), quam luxuria modum suum per longius tempus transire potest. Sed ubi charta cusa opinatas divitias terrae infert, argentum sine mora ad peregrinos effluit, ut luxui effrenato satisfiat; nam eorum, quae ad vitam agendam omnium maxime necessaria sunt, quaerendorum praesidia vel jam apud se esse putant, vel certe facillime comparari posse. Ibi quodvis luxuriae irritamentum perniciosum est; et studio quam maximo enitendum est, ut hominum sensus et cupido in dignas res convertatur. In his principis et nobiliorum exempla plura efficient, quam constitutionum et edictorum nubes; atque utinam aula, salvo splendore dignitati suae apto, vel ex rationibus politicis necessario, luxuriem iis potissimum rebus expleat, quae, aliorum divitias ordinum superan-

29) *Büsch. über den Geldumlauf* P. II. p. 261.

tes, minus ad imitationem invitent et ad firmiora et praestantiora subditorum studia traducant.

Duabus tantum rationibus fieri potest, ut pecuniarum publicarum administratio certo ordine et firmitate gaudeat: si vel reditus ita augeantur, ut et quae quotannis expendenda sint, expendantur, et aeris alieni usurae recte solvantur nominaquo ipsa sensim diluantur; vel expendenda modis prudenter positis et sapienti parcimonia ita imminuantur, ut, novis tributis non injunctis, tamen idem assequare. Posteriorem rationem, licet spissior sit, at certam et firmam, populi felicitati atque opulentiae sine dubio melius conducere apparet. Sed ubi rerum conditio priorem pecuniis publicis succurrendi rationem necessario postulat, posterior ubique velut sapientior comes ei addi debet; nam non potest haec sententia moveri, nedum refutari: omnium, quae de pecuniis publicis capias, consiliorum esse praestantissimum illud, secundum quod pauca expendas, et inter tributa minimum quodque amplectaris. Si, inquam, quae prius a nobis monstrabatur via eligenda est, prudentia te mature eam ingredi jubet, ne malum mora ingravescat et opulentiae publicae progressibus insuperabilia impedimenta objiciat. Nam onera, quae ferre ipse non possis, futuris temporibus quasi injungere, nisi simul ferendi praesidia circumspexeris atque instruxeris, consilium vocari debet e propriae utilitatis cupidine ortum et ab incuriosis securisque commendatum; et nomina vel

in ipsa terra, vel apud peregrinos facere, nisi auctis tributis usuras pendendas et sortem decrescentem (*sinkenden Fond*), ut inde caput paulatim exsolvatur, instituendam curaveris, remedium est, quod malum retardatur potius, quam tollit; turbatisque ita pecuniis vulnerum medicinam difficiliorem reddit. Sapientissima igitur et naturae rei convenientissima erat ratio, qua civitatis administratio inde ab a. 1762. expendenda, quae minui non poterant, auctis tributis per singulos annos diluere simulque aes alienum paulatim expedire studebat; praesertim, cum universa tributa non in tantum adscendissent, ut opulentiae populi progressibus per se officerent. Nam quod in Norvegia et Bornholmia animi de istis irritati erant, magis ex eorum descriptione atque exactione, quam magnitudine derivari debet: quod statim intelligetur, si modo universam tributorum in Dania summam, respectu ad opum fontes et ad florentiorem per istud tempus statum habito, cum aliis terris conferre velis. Hinc clarius et magis perspicuum fit, plurimum interesse, quomodo tributum nummis pendendum describatur, ne onere intolerabili singulos, hac sive illa ratione victui studentes, premant, neque iis, qui, ceteris tributa ad veros reditus referre contendentibus, ab tota redituum summa, cui multa decedunt (*rohes Einkommen*), amoliri non possunt, graviter inhaereant. Eo minus tum aucta tributa dissuadenda seu divitiarum publicarum progressibus periculosa videbantur, quo ma-

jora eorum ferendorum vires per modo elapsum temporis spatium incrementa ceperant. Quamvis enim ob administrationis perpetuum regendi et moderandi studium aliquot mercaturam et fabricas evehendi conatus irriti erant, tamen multa, quae ad opum fontes amplificandos fiebant, prospere cesserunt. Vir ille, qui postea Friderico, ut Sillius Henrico IV, aderat, Petrus Andreas Bernstorf, tum in collegio, quod summae rei vectigali praeest, et in consilio terrae commercia gubernantium receptus, Daniae rebus publicis praeclare operam navavit: permulta optime ad mercaturam in alienis terris tutandam et in ipsa patria ab obstruentibus impedimentis liberandam, pulcreque expediendam 30) instituta ei debentur, quamvis illa aetate nondum persuasum ei erat, mercaturam, nisi difficultates removeri, sive magna et insolita, quae singulorum opes superent, exornari debeant, administrationis regni opera carere posse; attamen post viginti quinque annos eam a monopoliis, quae ante sola probabat, in libertatem vindicandam censuit 31). Similiter per illud temporis spatium, cui ab Oedero et Reverdilo nomen inditum est, in re rustica multa emendata sunt; ex quo cum agri-

30) Cf. constitutiones die 8. Decbr. 1767, die 9. Aprilis 1764, die 28. Aprilis 1767. al. editas.

31) Eggersii *Merkwürdigkeiten aus dem Leben P. A. Bernstorf.* p. 29.

cultura impensius magisque ex animo ab hominibus ageretur, hic opum fons largius fluere incepit.

Ut pecuniis publicis opitularetur, civitatis administratio, postquam tributum, quod supra memoravimus, mutatum cum tributo a singulis ordinibus pendendo junctum erat 52), aliud, quo tertia unciae pars ($\frac{1}{4}$ *pr. Cent*) de praediorum pretio daretur, tum duo, quae de salariis et mercedibus solverentur et unum singulis hominibus, vectigalium pro importato sale exactorum loco, imponebat 53). Sed principia, e quibus haec tributorum ratio ducebatur, magis ad rerum, in quas indicerentur, inveniendarum facilitatem, quam ad eorum vim in pecuniarum usum et sufficientem victus copiam, quae hominibus inferioris loci suppetere debeat, relata esse videbantur. Tributum enim, quo pecuniae in praediis positae atteruntur, et sumtus in mercaturam facti immunitate gaudent, necesse est, ut sortem ad hanc transferat, agriculturam vero, (quam minime oportebat, cum certissima firmissimaque terrae lucra pariat) impensas ad ejus florem necessarias intercipiens multo reddat difficiliorem. Et, si semel de rebus quibusdam tributum penditur, arduum est, alias explorare, a quibus pecuniae in civitatis usum colligendae aeque facile sumantur. Nam dies et assuetudo animos a priorum onere avertunt; sed nova eos iterum

52) Constitutio die 17. Jan. 1764. edita.

53) Tres constitutiones die 14. Maji 1768. editae.

irritant et novas in singulos iniquitates (*partielle Ungleichheiten*) (quod in tributorum mutatione vitari nequit) civitati inferunt. Vulgo reputare non solent, nova tributa graviora non esse, quam vetera, in quorum locum succedant; sed, cum consuetis nominibus homines non amplius commoveantur, de novis vehementer queruntur, quia et hic et in omnibus, quae ad rem pecuniariam subditorum pertinent, opinio dominatur. Hinc fit, ut nova tributa suadere, tam difficile sit et periculosum; hinc praecipue (quod certo conjicere possumus) illa eorum ratio, multa descriptionis inaequalitate iniqua, tam diu servabatur 34). Quantopere vero tenuioribus acerba erant, inde intelligitur, quod tributum in singulorum capita (pro vectigalibus de sale) impositum jam a. 1771. sublatum, neque ex eo tempore restitutum est 35).

A. 1764. rationibus ex oeconomiae publicae legibus sine dubio admodum prudenter deductis agros publicos (*Domainen*) vendi placuit; unde quae soli Daniae ad a. 1774. rediit, 4,113511 imperialium summa 36) ad nomina dissolvenda adhiberi poterat. Quod civitas agrorum, in ducatibus sitorum, administrationem miserat, ipsos-

34) Tributum, quo tertia unciae pas de praediorum pretio penditur, et tributum extraordinarium constitionibus demum 4. die Septembr. 1809. et 6. Maji 1812. promulgatis sublata sunt.

35) v. Constitut. die 8. Octobr. 1770. editam.

36) Tharupii *Magazin* vol. I. fasc. 1. p. 131-136.

que divenderat, praeter pretium eorum (sexcenta ferme millia imperialium) per singulos annos duodeviginti millibus et 799 impp. et 10 schill. 57). plus exigere poterat, quam mercedes ante a publicanis pendendae confecerant; praeterea silvas sibi retinuerat, quarum administratio majora commoda et ampliores fructus promittebat. Ceterum paucae civitates tantum veri solidique lucri ex agrorum publicorum alienatione percepisse videntur, quantum Dania; nam dum ii, quorum administratio et facilis neque rationibus potioribus prohibita erat, servati sunt, e reliquorum venditione aerarii reditus augebantur: terrae cultus melior institui poterat, cum possessionis firmitas ad emendationes, quarum fructus semper, vel si in longum tempus conducas agros, incerti sunt, incitaret; et populi multitudo ita increvit, ut in quinquaginta duobus fundis regiis, in quibus, cum nondum divenditi essent, ducentae tantum et sexaginta familiae numerarentur, 1787. septingentae septuaginta sex domus liberae vitam honestissimam secure degerent. Quum enim ex alienatione administratio civitatis ab agris publicis aliorum curae traditis decessisset, de agricultorum, omnium ordinum gravissimi, conditione multo celerius faciliusque meliora ista constitui poterant, quae post quatuor demum lustra, magna difficultatum mole remota, si totum spectas,

57) *Schleswig-hollsteinische Provinzialberichte.* 1788. fasc. III. p. 329.

gloriosissime perficere contigit. Ita certe viam, quae saluti civitatis et populi (amborum enim commoda, si rem recta ratione pensitaveris, ita copulata et connexa sunt, ut separari plane non possint) omnium maxime conveniebat, instituerant; quae enim in commendationem agrorum publicorum in longius tempus conducendorum (damna, cum civitatis administratio agrorum cultioni ipsa praeesse vult, orientia jam ab omnibus puto intelliguntur) ante venditionem prolata erant: administrationi scilicet opus esse, ut subsidia teneat, quibus magnis demum periculis repentino ingruentibus utatur, neque subditorum opes tali tempore exhauriat, facile refutari poterunt. Nam simulac res in discrimen vocatae sunt, praediorum pretia jacere solent; tum vero, ut civitatis administratio magnas, quibus tali tempestate indiget, pecunias conflare possit, permulti agri vendendi, imo pretio ex rerum conditione minuto abjiciendi forent: eoque magis istud eveniet, quod, cum talia tempora incidunt, quaevis nova sortem in usum convertendi ratio anceps et dubia videbitur; et emtorum copia cum multitudine bonorum, quae in foro venalia offeruntur, neutiquâm congrua reperietur. Deinde de conditionibus, in quas agros vendere placet, ita constitui debet, ut ad praesentem necessitatem omnia fere referantur, et, quod grandes pecuniae ut continuo solvantur necesse est, minus etiam emtorum ad licitationem invitabuntur. Sed agrorum publicorum venditio, quae post

pericula civitati conflata fit, non solum multo minus quaestuosa erit, quam si tranquillis temporibus consilio certo et prudenti sensim alienantur; verum (id quod summi momenti est) agros nunquam fere ad eos homines deferet, quorum diligens et industria cultura regni opulentiae largos fructus praebitura erat; nam, qui magnas praesentium pecuniarum summas ad quaestus subito faciendos sibi parare callent, rarissime voluntate fundum sensim emendandi, prudentia et reliquis ad agri cultionem necessariis instructi sunt.

Quum civitatis administratio reditus, ut firmum in pecuniis ordinem crearet, augere cogeretur, necesse erat, ut ad vectigalia et ad ea tributa, quae pro eduliis pendebantur, (*Consumtions-Abgaben*) amplificanda confugeret; eoque magis hoc in promtu erat, quoniam vectigalia aucta ad mercaturam accuratius regendam conducere vulgo putabantur. Sed futurum erat, ut Danicarum etiam pecuniarum historia perspicue doceret, in istis amplificationibus non semper prosperos successus consilia sequi; et prae ceteris vectigalia paradoxon istud, duo bis sumta minus quam quatuor efficere, in veritatis luce ostendere 38). Aucta tributa, pro eduliis in urbibus

38) *Olufsen* multa ad hanc rem confirmandam, quae legere quemque juvabit, adducit in *Oversigt af Nationalindustrien i Danmark.* pag. 300. seqq. Quum post exaggerata tributa pecuniae in sal,

pendenda, quamvis et ipsa, ut quaecunque non nisi per ambages exigi possunt (*indirecte Abgaben*), ad peculatum incitant, et mores populi paulatim corrumpunt, pro certioribus tamen reditibus haberi debent, si paucis tantum rebus, quarum quidem rationes contra putari facile possunt, cuncta imponuntur. Quod haec tributa multiplicata et in tantum rerum ad victum necessariarum numerum imperata erant 39), non solum eorum exactio et custodia difficillimae redditae sunt, sed, etiam, ne animi istorum onere incenderentur, (id enim, supra enumeratis tributis, quae administratio injungere cogebatur, modo descriptis, hic illic factum) prohiberi non potuit. Cum quae pro eduliis pendenda erant, oppidanos premerent, interceptus est flos urbium, a quibus omnis junctio commerciorum regno convenientium et propriorum summo ejus opulentiae commodo procedit. At si urbes cum agricolarum dispendio privilegiis tantum sustineri possunt, et reditus tributorum, quae modo memoravimus, primaria causa, cur instructae retineantur, existimari debet: tum in divitias publicas vim utilem habere nullo modo possunt. Neque

quod importaretur, pendendae ducentis imperialium millibus aestimatae essent, a. 1777. triginta tantum millia conficiebantur. Vid. *Authentische Actenstücke.* p. 45.

39) Cf. Constitut. de eduliis die 15. Octobr. 1778. editam, in qua multae constitutiones sigillatim promulgatae in unum conjunctae sunt.

mercatores in Daniae oppidis exorti sunt, sed caupones, qui, merces agricolis accipere coactis minutatim vendentes, commercia terrae haudquaquam salubria agebant 40); tamen aerarii reditus tributis collatis augebant.

Constitutione die 13. Februarii 1767. promulgata usurarum modus ita extenuatus est, ut pro quincunce triens (4 *pr. Cent.* loco 5 *pr. Cent.*) daretur; quod, cum ita civitatis administratio confidere posset, se in ipsa terra pecunias triente mutuas in posterum accepturam, (nam tum mutuationum in alienis terris faciendarum ratio nusquam instituta erat) magnam utilitatem habuit. Modicas quidem usuras fontibus eorum, quae ad victum pertinent, amplificandis valde conducere, negari non potest; caveamus tamen, ne, rerum discriminibus sublatis, ad omnia haec referantur, ut ita, quae aliquando futura sunt, arte celerius occupemus. Ex usuris tenuibus mercaturae et fabricarum flos atque illa agriculturae vis, qua opum fontes in terris augentur, necessario prodire non debent: nam vel non regente civitatis administratione nonnunquam accidit, ut vilior usurarum modus opiniones fallat; et, quod ob rerum quaerendarum fontes aliis infortuniis obstructos pecuniae certo et fructuose poni fere nequeunt, eadem, quae felicibus in pecuniis cumulandis successibus, efficiantur. Praeterea, usuris civitatis legibus imminutis,

40) *Olufsen.* l. c. pag. 352.

fieri potest, ut rerum ad victum necessariarum fontes, qui vel maxime ad amplificationem magnas pecuniarum summas postulant, ea invenire nequeant, quia vel in aliis terris, ubi tuto licet, grandi foenore deponuntur, (nam apud quosvis homines, populares, alienigenas, occupari possunt) vel in quaestus dubios, quorum eventus an terrae saluti conveniat, ambiguum est, insumuntur. Ipsa constitutio die 23. Januarii 1771. edita, qua, licet in breve tempus, pristinus usurarum modus imperabatur, dum hanc rei causam reddit: quod multis triente mutuas pecunias invenire difficile fuerit: eos puto potissimum intelligi voluit, qui argentum ad opificia exercenda et amplificanda frustra quaesiverant; nam homines profusi et audaces lucrorum aucupes, fraude legibus facta, nummos colligere sciunt, et experientia ipsa, edictis extenuatum usurarum modum ad foenus iniquum reprimendum non sufficere evincit. Praeterea omnium terrarum historia docet, ubique pecuniarum angustias legibus imminuti usurarum modi veram causam fuisse. Sed civitatium administrationes in istum alia ratione, at per ambages, vim opulentiae populi et rerum quaerendarum fontibus evehendis utilissimam, exercere possunt. Nimirum bonae leges ad fidem tuendam sancitae, in quibus creditori satis cautum est, earumque diligens custodia, opificiis plus pecuniarum conciliant, quam artificiosa usurarum extenuatio; neque solum omnis argenti in patria cumulati usum ipsi praestant,

sed ex alienis etiam terris, si quod patria desideret et idonea impendendi occasio se ostendat, haud dubie ei inferunt. Fides enim omnis mercaturae parens est, neque ullus populus, ne opulentissimus quidem, ea carere poterit. Eo magis dolendum est, constitutionem die 15. Maji 1770. publicatam, qua supra memorato cunctarum mercium receptaculo omnium primo fabricatores, qui materiam rudem ad merces inde accipere solebant, debita solvere jubebantur, (negotiantes jam pridem debebant) 41) ad patriae fidem apud exteros infirmandam contulisse. Verum quidem est, fidem (qua scilicet hominem obligationi in se susceptae satisfacere et posse et velle confidimus) ejus potissimum, qui se devinxit, rationem habere; sed legislatio complectitur omnes, et, cum in terris longinquis singulorum pacta praestandi vires et voluntas accuratius explorari nequeat, primum ab ipsa certa de his persuasio petitur. Singuli certe si quando perfide et subdole agunt, ipsorum fides perit et fiducia in posterum subvertitur: at non facile civium eorum fides male inde audiet; imo, nisi talia frequenter designantur, (quod cito fiet, ubi leges de bonorum ruinis latae (*Banquerotgesetze*) vel non sufficiunt, vel admodum negligenter custodiuntur) damna, quibus exteri ab hoc sive illo impuro homine nonnunquam afficiuntur, nihil momenti

41) Cf. constitutiones die 22. Martii 1740, die 27. ejusd. 1743, et die 26. Novembr. 1759. editas.

ad civitatis apud eos fidem habebit. Sed perniciosissima quaeque ei ab administrationum imperiis processerunt. In his quae vitanda erant, historia pecuniarum publicarum Francogalliae monere poterat.

Quibus descripsimus modis reditus regni, qui a. 1756. 4,955800 imperial. explevere 42), a. 1769. ad sexagies centena millia adscenderant 43). Quodsi expendenda ad eam summam detrusa fuissent, qualis ante apparatus bellicos, a. 1762. factos, erat, dubitari nequit, quin multo major aeris alieni pars jam soluta foret, praecipue si reputes, quales eo consilio pecuniae e sapienti agrorum publicorum venditione confectae fuerint; et partem nominis Hamburgii contracti decisionibus politicis sublatam esse. Nihilominus tamen eo tempore centies et septuagies centena millia, utcunque varia tradantur, effecisse conjicere possumus 44); nam experientia edocti sumus, in conficiendis acceptorum et expensorum tabulis, quae nomina publica, subductis incertis, quae civitatum administrationibus debentur, maximam partem non solutis, ut multo

42) *Büschingii Magazin.* P. VI. p. 289.

43) Cf. ibid. P. XIV. pagg. cit. *Riegels 5te Christians Historie.* p. 773.

44) *Büschingii* l. c. P. XIV. p. 96. P. XVII. pag. 209. *Schmettow Commentar.* p. 252. *Urkunden u. Materialien.* P. I. tab. ad p. 291.

minora praeferebant, auctores vel pecuniarum status minus infausti gloriam affectasse, vel miseram earum conditionem sibi ipsis dissimulare studuisse.

Hujus loci non est illa quaestio, quatenus probari possit, ut, quaecunque de rebus pecuniariis agantur, promiscue omnia ad hominum aures perveniant; animadvertere tamen liceat, si, quae, rationibus cunctis perfectis, tanquam summae inveniuntur, curiose vulgantur, (nam acceptorum et expensorum tabulas, quae singula omnia pecunias publicas attingentia cum causarum enarratione exhibeant, confici non posse arbitror, neque adeo a quoquam, nisi harum rerum imperitissimo, postulabuntur) non facilius aliquid loci homines formidolosos diffidentia implendi, infirmiorum animos frangendi, rerum novarum cupidos concitandi malevolis dari poterit 45): quam, si ista diligentissime obtegas, ibi poterit, ubi, improbi ne indignationis et seditionum semina spargant, metui debet. Sed sicubi tabulae istae ea potissimum de causa conficiuntur, ut administratio pecuniarum conditionem inde cognoscat, vana verum occultandi studia in ejus consilia pessimam vim habebunt.

In Dania semel tales tabulae, quibus de pecuniarum statu, qui isto tempore obtineret,

45) *Eggersii Memoiren über die dänischen Finanzen.* P. II. p. 255.

rex certior fieret, publici juris factae sunt 46). His quidem eo praecipue magnum momentum conciliatur, quod, quid potissimum spectaverint cognitores, inter quos etiam Schimmelmannus, die 28. Decembris 1770. delecti, cum mercaturam societatibus tantum publicis bene exerceri atque regi posse censerent, ibi expositum reperias; praeterea inde etiam perspicue, regis qui tum erant in regno administrando consiliarios jam intellexisse, patet, necessarium esse, ut opificia ad opulentiam civitatis firmandam pecuniasque amplificandas legibus latis sustententur. Sed his consiliis minime aptae sunt rerum publicarum conversiones; qualis erat, cum penes Struenseeum administrationis regni summa esse inciperet, et cum, ipso de dignitatis gradu praecipitato, desineret. Ceterum neque civitatis Danicae naturam, neque populi ingenium satis pernoverat, (quod ipsum cum pertinacissima imperandi cupidine fortasse praecipua causa erat, cur tam repente de fastigio dejiceretur) ut mutationes regni opulentiae salubres et consilia de pecuniis late patentia ab eo exspectari possent. Fortasse ipsius, cum ad administrationem accederet, auctoritate factum est, (nam ad molitiones suas populi amore indigebat) ut quaedam tributa, a. 1768. indicta, tollerentur; sed ut novis et, si fieri posset, aptioribus in eorum locum succedentibus reditus

46) *Conferenz an den König vom 27. Mai 1771.* apud Büsching. l. c.

restituerentur, cura nulla erat; quod eo magis reprehendi debet, quia ex acceptorum et expensorum tabulis superius commemoratis intelligitur, si vel usuras veteris aeris alieni recte et nulla nominum novorum accessione solvere volebant, de tributis minuendis cogitari plane non potuisse. Interim, ne hoc negligamus, per Struenseei magistratum non solum multa instituta sunt, quae mercaturae, regni conditioni idoneae, et opificiis incrementa praeberent; sed administratio etiam fabricis minus favere, potius mercaturae in libertatem restituendae studere incipiebat; nam jam tum commercia cum India utraque, et orientali et occidentali, juncta omnibus concedi placuisse videtur 47). Deinde eam liberiorem pecuniae usum adjuvare 48), et urbium praeter Hafniam mercatusque earum florem merces apud se deponendi potestate efficere voluisse 49) e constitutionibus certo colligimus. Infirma de frumenti mercatura consilia et quae inde mala in civitatem redundabant, administrationis intentionem non fefellerant; tum Norvegia libera frumenti importatione, quae constitutione die 16. Decembris 1771. edita concedebatur, ab omni victus inopia in futurum munita esse videbatur; atque ita hunc mercatum, summi in Daniam momenti,

47) v. Olufsen l. c. p. 582.

48) Cf. Constitut. die 23. Januarii 1771. editam.

49) Cf. Constitut. die 6. Maji 1771. editam.

liberius sese explicare volebant, unde et studium majorem frumenti copiam ex agris colligendi et diligentiorem ejus tractationem et usum processurum esse certo sperari poterat. Sed si hoc administrationis consilium constitutione illa perfectum non est, atque adeo haec ipsa brevi post tollenda videbatur 50): liberi frumenti mercatus inutilitas inde non probatur, sed confirmantur potius, quae supra contendimus, nullum unquam commercium, nisi quod ab omni parte tutum sit, florere posse; nam quomodo negotiantibus in hac Struenseei constitutione acquiescere et satis certo incepta sua ponere licebat, cum cuncta sub istius magistratu constituta rescindi animadverterent et mutationes per multos annos in consiliis de Danico frumenti mercatu factae in omnium memoria vigerent? Qui mercaturae rationem novit et cautam prudentiam providamque curam mercatoris animo reputat, ei dubitabile non videbitur, administrationem iterum pollicitam, se liberam et invectionem et exportationem ad a. 1780. vel diutius tuituram esse, celerius, ad quae benevolentissime tendit, consecuturam fuisse, quam praemiis, cum necessitas urgebat, promissis et veteris consilii restitutione.

Interea ex una re civitatis reditus incrementa ceperunt. Sortium alea (nos: *Lottospiel*), Struenseei principatu in Daniam illata 51), quam-

50) Constit. die 14. Martii 1774. ed.

51) Cf. rescriptum die 12. Januarii 1771. datum.

vis tum quidem viginti tantum quinque imperialium millia per annum ex ea redibant 52), cum ad civitatis rationes referretur, magnas aerario summas conciliavit 53). Sed quo modo populi mores et industriam affecit, ex hoc satis patet, quanti sit, qua ratione et quibus ex fontibus civitas reditus suos hauriat. Si forte, cum in regnum introduceretur, id spectatum est, ut, quae tributa sublata aerario auferrent, ita restituerentur: haec, descriptione inaequali et in singulos iniqua laborantia, cum tributo omnium quammaxime inaequali permutata sunt: nam quid aliud est alea, publice instituta, si ad aerarium respicias, quam inaequale tributum, lucrandi cupidini impositum? Nulla cogitatio perniciosior hominum mentibus injicitur, quam opes acquiri posse sine labore; nam ubi magni lucri repente incidentis illecebrae leves populi animos ducunt, industria, qua vera opulentia paratur et munitur, languescit; ubi ingentes divitiarum summas nanciscendi spes populum intenta exspectatione detinet, animorum ista quies, quam opus assidue faciendum postulat, necessario perit; ubi denique caeca in fortunam fiducia hominibus momento thesauros sibi contingere posse persuadet, ibi parcimonia et diligentia, in pecuniis colligendis principes, abibunt; et intemperantia effrenataque

52) Cf. rescriptum die 15. Aprilis 1773. datum.

53) *Thaarup udförlig Veiledning.* P. VI. pag. 430. *Schmettow Commentar.* pag. 281.

luxuria pedem exitiali incursu istuc ferent. Multa hominum millia ad inopiam rediguntur, ante quam unus splendido speratorum eventu exsultet; et hic ipse aliis millibus egestatis causa existit; nec adhiberi quidem divitiae, ex alea, si felicissime omnia cadunt, partae ita solent, ut civitatis opulentiam emolumentis augeant; nam, quod per totam rerum naturam, praesertim in plebis fortunis, valet: quaecunque non ex ordine suo et quasi saltu quodam fiunt, pericula minari; Daniae historia non semel ostendit, divitias a singulis repente et sine labore acquisitas civitati non solum nihil verae opis attulisse, sed, postquam ad profusionem et quaevis temerarie audenda incitaverant, tandem sine ullo sui vestigio, sicut paratae fuerunt, evanuisse. Quantopere igitur optandum est, ut hic redituum publicorum fons plane occludatur; verum in hoc etiam patet, quam difficile sit, tributa, etsi postea nociva apparuerunt, exstinguere, siquidem aerarium nummis ex iis collatis carere non potest.

Per istud tempus, quo Struensee administrationi praeerat, in universum civitatis reditus extenuati, sed expendenda aucta sunt; imo in ipsa imminutionum specie aucta sunt, cum illi, ad altum fastigium elato, potentiae nutantis fulcra sibi conciliare opus esset, et multis magistratuum missionibus inde ortis beneficiorum emeritis praebendorum numerus admodum incresceret. Verum conjunctio, quae inter pecunias publicas et internam civitatis conditionem obtinet,

dirimi non potest; ambabus tranquillitate opus est et longiore tempore; assidue unum consilium persequendum, ut et haec et illae confirmentur. Difficile est dictu, quanta a. 1772. initio aeris alieni summa fuerit. Qui ducenties et decies sive vicies centenis imperialium millibus eam aestimant 54), modum excedere videntur; nam intelligi nequit, quomodo nomina tam brevi tempore ad quadragies seu quinquagies centena millia adscendere potuerint; sed hoc pro certo ponendum est, nihil aeris alieni expeditum esse, unde pecuniarum conditionem emendari licuerit; tum magistratuum missiones et mutationes, ex Struenseei abrogatione natas, graves illas beneficiorum tabulas iterum tantopere auxisse, ut, licet administratio certos fines et modum statuere contenderit, adhuc anno 1777. amplius sexcenta millia imperialium in annum continerent 55).

Anno 1772. tam multae, tamque graves res in Daniae rationibus politicis cum ad internum regni statum, tum ad exteras civitates pertinentibus actae sunt, ut nullus de pecuniarum conditione cogitandi locus reliquus fieret 56); praeterea ad opificia eorumque ope ipsam terrae opulentiam evehendam sub Struenseeo institutis, quo ad maturitatem pervenirent, tempus non

54) Yves l. c. p. 19. *Authentische Actenstücke.* p. 6.

55) ibid. p. 141.

56) Yves p. 19.

dabatur. Anni demum 1773. initio constitutione die 21. Januarii edita de rectiore pecuniarum administratione curatum est; et prima Schimmelmanni, cujus auctoritas in rem pecuniariam Daniae nunc minoribus etiam impedimentis efflorescebat, rogatio id egit, ut publicarum pecuniarum rationibus, quas sine firmi ordinis auxilio se ipsas consumturas esse intellexit, ordinem inferret. Sed regio demum fisco in publicum addicto, cunctorum a regno acceptorum et expensorum iterum et accurate quidem calculi subduci poterant; nam ab hoc inde tempore reditus omnes in unum aerarium confluebant. Magnifica regis benignitas et munificentia, dum grandes pecuniae in fiscum conveniebant, tantis opibus instruebatur, ut ad summas, quas vera pecuniarum publicarum conditio non poterat, expendendas concitaretur; et tabulas, quae accepta et expensa certo indicarent, confici non licebat, priusquam omnes argenti summae e computatione instituta ante definiri possent. Semper vero pecuniarum publicarum administrationem sine talibus tabulis incertam fore, imo sola fere ipsarum ope magnis saepe summis parci posse, satis docuit memorabilis pecuniarum Francogallicarum historia 57).

Ne vero civitatis reditus inferiores essent expendendis, tributum, quo tertia unciae pars de

57) *Necker sur l'administration des finances.* P. III. caput. XXVII.

praediorum pretio daretur, denuo indicebatur, et in agrorum publicorum venditione consilio, de quo supra monuimus, saluberrimo pergebatur; denique moderatio et parcimonia in singulis, quae administrationem tangebant, praecipue in aula, instituebatur; quibus prae ceteris tribui debet, quod expensa in annum 1777, licet sumtus omnes in bellum et in magistratuum emeritorum beneficia faciendi in dies fere crevissent, ad 4,774205 tantum imperiales adscenderant, cum a. 1770. 4,680650 imperiales explevissent 58). Sed illud, quod pro norma unice vera, secundum quam pecuniarum publicarum administratio dirigi debet, omnino habendum est: earum vim et firmitatem non in redituum amplitudine, sed in expendendorum paucitate esse, Fridericus IV, sub quo ita regni opulentiae apprime consultum est, curiose quidem sequebatur; at pro regula semper et ubique servanda non videbatur positum esse. Quid enim prosunt, quae rex pro civitate benignus devovet et, dum et ipse et aula splendidis sumtibus parcent, summa laude in regni usum acquirit, si ab altera parte temeraria indulgentia ad impensas excitat, quae studii illius laudatissimi fructus consumunt? Namque subditorum labor ultimus est fons, qui

58) Rationes tamen in utrumque annum putatae usuras nominum publicorum non complectebantur. Cfr. *Büschingii Magazin* P. XVII. pag. 56-69. cum *Authentische Actenstücke* p. 140-142.

civitatis reditus fundit, (singulis tantum quibusdam exceptis, ut in Dania vectigalibus in freto Codano pendendis et quae ex agris publicis redire solent); sed, de quo superius jam disputatum est, laboris quasi in unum collecti summa certis quibusdam finibus, ut omnia, quae in rerum natura conspiciuntur, circumscripta est; quaecunque hinc ad ea, quae civitati necessaria sunt, praestanda decedunt, laboris (si ita dici licet) thesauro in terra pereunt; a veris enim singulorum reditibus, quibus solis, ut ipsorum, ita terrae opulentia amplificari debet, deducuntur. Quodsi civitatis reditus subditorum collatione exaggerantur et summae inde conflatae non ad nomina delenda et ad exornanda instituta omnibus utilia, e quibus ipsis postmodo fructus, subditorum impensas restituentes, conficiantur, sed ad salaria et auctos in administrationem sumtus adhibentur: tum vires et opes ad opera facienda terrae decedunt et ipse laborem subeundi amor et alacritas tandem languescit.

„Agriculturae exercendae studium, utilissima piscatus agitatio, aera diligenter e fodinis effe-rendi labor et sedula, quae ex istis progignitur, commerciorum et negotiorum exercitatio ante exculta esse debent, et e pecuniarum rationibus, ista subsequentibus, nihil plane incipi licet, cujus causae non ex istis, quasi ex fundamento suo, prudenter petantur." Haec cum in cognitorum placitis ad regem datis 59) scripta essent,

59) v. pag. 41.

monstrata jam videbatur via, quae in novo de pecnniis publicis consilio omnia complectente iniri debebat. Sed in hoc alia ratione iis, quae cupiebantur, * impetrandis operam datam esse patebit; nam ita tantum, ut opum fontes eadem cuncti libertate cuique concessa instructi, eodem praesidio septi eodem etiam modo augerentur, consilio illi viam muniri posse, intellectum fuisse non putamus. Abrogatum viris, delectis, ut de re rustica cognoscerent, (*Landwesen-Commission*) munus et constitutio die 12. Augusti 1773. edita, qua opera serva, quam angariorum praestationem appellant, neque tempore neque modo accurate definito, denuo instituta est, hoc quaestuum genus, quod, antequam firmum de pecuniis consilium capi in Dania quibat, efflorescere debebat, in melius redigere non videbantur. Per totum hoc temporis spatium, ad promulgationem constitutionis die 23. Aprilis 1781. factam, in qua de agrorum communione tollenda praecipiebatur, nihil in Dania paratum est, quo agricolarum conditio emendaretur; plane cessatum in rei rusticae cura, ab hoc rege per primos regni sui annos tanta cum sapientia tantoqne studio gesta; quo factum est, ut duobus lustris, quam poterat, serius justitia et humanitas per Daniam feliciter emergeret, atque insuper terrae opulentiae damna infligerentur. Porro piscatus non ea gnavitate agebatur, neque tantis ab administratione snbsidiis gaudebat, ut ad subditorum opulentiam vim aliquam habere posset;

imo etiam ille, qui, in Danicae littoribus factus, olim tam gravis momenti erat, ob studium, quo alia opificia florebant, jacuit et paene in oblivionem abiit; magnus igitur victus quaerendi fons, qui urbium mercaturam efflorescentem admodum juvare potuisset 60), civitati exaruit. Cur, quae administratio moliebatur, ut piscatus, quem in littoribus borealibus, in Islandia et Groenlandia exercebant, eveheretur, successu non gauderent, causa in monopoliorum rationibus potissimum quaerenda est, secundum quas, velut regulam et normam, ut infra demonstrabimus, universum de pecuniis consilium dirigebatur. Tum etiam fabricae magno colebantur studio, in sententiis de mercatura conceptis, quae monopoliorum rationibus pro fundamento erant, nitente; hinc et veteres, quae servandae erant, et novae, quae condebantur, ut ante, amplas impensas postulabant, unde vera utilitas civitati non redibat, et sortis ad opificia fructuosiora necessariae comparatio, ne dicam tollebatur, magnis tamen difficultatibus impediebatur. Ita porcellanicorum vasorum officina a. 1779. instructa, licet monopolio sibi concesso et interdictis sustentaretur, nunquam tamen annuos sumtus quaestu aequare poterat 61); et multae fabricae, subsidiis a rege datis his temporibus conditae, quantumvis oppor-

60) *Baden Udkast til en Historie af Danmarks og Norges Handel* p. 371.

61) *Höst Geschichte Christians* VII. P. I. p. 267.

tunitatibus adjutae, brevi omittendae erant. Sed si interea, quamquam conatus isti frustranei erant, Dania industriam in opificiis et fabricis positam magnopere provexit, animorum cultus augescens et temporis progressus effecerunt, quae, ut manifesto patet, ipsa cursu suo ea ad perfectionem perducunt, quibus maturandis civitas magnos, plerumque quidem inutiles, impensas profuderit. Tamen negari nequit, has impensas atque irrita administrationis conamina alia ratione atque via, quam qua tendebatur, industriam in opificiis tractandis vere adjuvare posse. Quidni fabrica male procedens privati hominis animum ad res, quae ante in terra fabricatae non erant, vertat atque ita illi et patriae multa emolumenta afferat? Sed haec utilitas, quam administrationis cura de opificiorum agitatione quasi aliud agendo praebet, damnis ex ista plerumque orientibus par haberi non potest; et in oeconomia publica nec non in arte politica hoc semper et ubique enitendum est, ut minimis opibus plurima perficiantur.

Ceterum nulla fabricarum et mercaturae historia melius, quam Danica, probare poterit, ad eorum florem nihil requiri, nisi quod liberae, quasi securae, intactae ab omni aliorum arbitrio, (solis impedimentis, quae vel natura vel rerum publicarum implicationes objiciunt, ab administratione regni remotis) sibi ipsis relictae suo modo procedant; et id actionis genus, quod ex ipso populo nascitur, firmissimum esse atque

fructuosissimum. Sic pauca tantum tam felicibus auspiciis instituta sunt, quam ludi, a privatis hominibus ad nendi artem addiscendam in Selandia exornati, quorum utilitas in illius insulae industriam redundans clare apparet. Similiter fabricae insignes, ab hominibus privatis sine monopoliis et subsidiis ab administratione suppeditatis in ducatibus instructae 62) eodem tempore florebant, quo haec ipsa frustraneo nisu industriam in his sive illis positam populo movere et sustinere studebat. Verum haec, quantumvis multa inde cognosci possent, uberius per singulas partes hic exponi nequeunt; principia tantum, e quibus populo opulentiam efficiendi et pecunias publicas augendi ratio administrationi profluxit, ex rebus per hoc tempus gestis deducentur: atque inde tandem patebit, eam commerciorum cum peregrinis amplificatione hoc optime perfectum iri opinatam esse.

Mensa instituta erat, ut mercatura adjuvaretur et fabricae sustinerentur; sed postea sensim etiam hoc additum, ut administrationi in angustiis pecuniarum adesset. Sed quod et in primario fine persequendo nimii erant, et alterius modum justo magis porrigebant, tantus schedularum a mensa editarum numerus progenitus est, ut mutatio rationis, quae a principio in signis nummos simulantibus obtinere debet, et pretii, si ad argentum putes, imminutio inde oriretur. Non

62) v. Höst l. c. p. 269.

opus est demonstrari, quomodo ruens schedularum ratio (*Cours*) ea, quae pro victu solvenda erant, et hinc operarum et laborum mercedes tetigerit, neque probari, quomodo earum pretium incertum commercia omnia dubia et infirma reddere et, quotiescunque cum peregrinis permutatio fieret, verum patriae damnum inferri deberet. Nam incerta monetae ratio id semper efficit, ut exteri in venditionibus, ubi pecunias accipiunt, de ejus deminutione forsan imminente, in emtionibus vero, ubi ipsis solvendum est, de ejus emendatione usque cogitent; hinc vili licitatione et aucto pretio jam ante a damnis, quae e mutationibus nasci sibi possint, tutos se praestare student; sed haec tutela terrae semper gravissima erit. — Interea administratio, quae pro summis a mensa mutuo acceptis usuras pependerat, et permagnos, cum pecunias apud peregrinos mutuo sumendas curasset, ut mala ex monetae ratione ruente orientia inhiberentur, jacturas facere coacta fuerat, eos, qui ad mensam argentum foenori dederant, (*Bankinteressenten*) dum et ipsa et regnum detrimentis laborarent, quaestum annuum non solum obtinuisse, sed auxisse adeo animadverterat; tum experta etiam erat, e pecuniarum angustiis, quae aes alienum sibi apud mensam paraverant, factum esse, ut lucra eorum, qui syngraphas de pecuniis illi creditis habebant (hodie: *Actionairs*) usque exaggerentur. Itaque, si solas mercatorias rationes spectas, ut mensa in administrationis potestate esset, vehementissime

optari debebat; nam ita haec ipsa in rebus dubiis repente ingruentibus subsidia sine usuris sibi paratura et auctis subditorum commerciis ac negotiis, (quae excitanda tantum esse putabantur, ut sua terrae emolumenta ferrent), ipsa utilitatem, nulla re interposita, captura erat. Ut utrumque assequeretur, Schimmelmannus a. 1768. mensam regni administrationi vindicare in animum induxerat; hinc pecuniis in Batavia mutuo sumtis, quarum jam supra mentionem injecimus, et nominum apud mensam contractorum parte ita sublata, ut quaternae syngraphae e quinis cum publicis ($\frac{4}{5}$ *der Actien gegen königliche Obligationen*) permutarentur, mensam cum civitatis administratione arctius coniungere studuit. Sed a. demum 1773. hoc perficere ei contigit. Inde cum mensa jam pro regio instituto esset, cuncta ab ea credita et debita (*Active und Passive*), postquam syngraphae de pecuniis mensae datis publicis syngraphis redemtae erant, in administrationem transferebantur. Verum lucrum, quod ad ipsam, hoc facto, redibat, hoc ferre fuisse videtur:

Quae administratio mensae tum debebat, ad 1,800000 impp. adscenderunt; hinc pro usuris solvendi erant 72000 impp. Prima mensae sors mutuo data, 600000 imperialium, usurarum 24000 imperiales; et 3,000000 impp. apud homines privatos occupati 120000 impp. pariebant: et post cambiarum quod dicimus *Discontirung* 10000 impp. inventi. Quae omnia ducenta et viginti sex millia imperialium conficiunt. Sed eidem

sumtus in mensae administrationem et in perpetuam pecuniae praesentis comparationem 40000 impp. impendendi erant; in syngrapharum de pecuniis mensae creditis redemtionem publicae 2,100000 imperialium editae, de quibus singulis in annum quincunx, de universis 105000 impp. pendebantur. Haec in summam centum et quadraginta quinque millium imperialium colliguntur. Ex his omnibus octaginta millia et unum impp. annuum lucrum fuisse intelligitur 63). Sed quum, summis, quae ante per syngrapharum possessores divisae erant, nunc in aerarium confluentibus, (si rem recte aestimamus) ipsi terrae novi reditus conditi non essent, multo majoris momenti ea vis existimari debet, quam continuo quidem in fidem terrae, unde dein in omnes pecuniarum rationes illa mensae publicatio (*Einziehung*) exserebat.

Anno 1736. rex concessione, quam mensae indulsit, (nos: *Octroi*) eam ut privatorum hominum institutum eadem forma iisdemque, quibus ab initio, legibus et iisdem privilegiis instructam per quadraginta annos in civitate mansituram esse munitumque iri pollicitus erat. Sed quomodo jam ante a concessionis istius promissionibus et obligationibus discessum et ita mensae eoque etiam terrae fides labefactata fuerit, supra ostendimus; neque quisquam, qui vel mediocriter teneritatem, si ita appelari licet, et fragilitatem fidei publicae

63) *Büschingii Magazin* P. VIII. p. 261-270.

et eorum, quae ad eam pertinent, perspectam habet, de eo dubitabit. At quae inde sequi dicas, quod, licet rex promissione sua, omnium, quae in civitate uni parente exstant, sanctissimo, fidem interposuerit, dissolutum erat privatorum hominum institutum in ista fulcitum ac nitens? Ne vero quis contra moneat, emendationem rationis monetae, quae post mensam regni administrationi vindicatam facta sit, contrarium probare. Nam haec causis, quae e rebus publicis manant, nec quicquam fidem civitatis attingunt, cito emendari potest; sicubi enim (jam supra dictum, fidem esse fiduciam in hominis obligati viribus et voluntate pactum praestandi positam) sicubi vires manifesto increscunt, nonnunquam fit, ut ad voluntatem per aliquod temporis spatium non respiciatur: ejusmodi causa erat Daniae conditio, cum bellum in America septentrionali erumperet, ex qua vulneri fidei publicae inflicto in tempus aliquod mederi licebat. Praeterea pecuniis in Batavia mutuo sumtis grandes praesentis argenti summae in regnum illatae; et, quamquam ob nummos male excusos, ut supra expositum, maximam partem in exteras terras effluebant, tamen praeter lucrum ex aucta per bellum exportatione natum pro sorte erant, quae per partes singulis creditoribus exteris assignari (*trassirt werden*) poterat: ita primum schedulae veros eorum, quae perpetuo in usu esse debebant, fines transire non cogebantur, neque statim, ut fides aliarum terrarum quaeratur, opus

erat. Deinde administratio magnum numerum schedularum, quae tunc ei parvo constabant, in praesens auxilium (*Palliativ*) adhibuerat; quotiescunque enim tabellae Danicae Hamburgii venales oblatae erant, eas majore pretio, ut monetae ratio consisteret, suo sumtu redimi curabat. Omnia vero, quae simili modo ad fidem in futurum tuendam fiunt, per breve tantum tempus commoda sua speciosa afferunt, et, postquam diu multumque facta sunt, primum terrae opulentiae, dehinc etiam fidei male consulunt; quin hoc quoque incommodi saepius accedit, ut iis, in quorum animis fidem suam creare et firmare volunt, ab initio machinae suboleant; et tum quidem, civitatis studio irrito, alienigenae lucra ex iis capere probe callent. Sed felix Daniae conditio, quae prudentiae in administratione rerum externarum debebatur, diutius permanens, fidem plane restituisset et incommoda, quae dissoluto privatorum instituto necessario oriebantur, maximam partem sanasset: nisi regni administratio istud praeceptum, quod ipsa in constitutione die 15. Martii 1777. edita protulerat, postea neglexisset. Nimirum mensa pro instituto habebatur, quo soli universae civitatis saluti prospiceretur; sed cum in administrationis potestate, ut ita dicam, privatis tantum aerarii consiliis inserviret, et proclivitas quasi ejus, privatis hominibus pecunias mutuas dandi, eorumque quaestus prudenti circumspicientia carentes, ut commoda ex iis adipisceretur, magis etiam excitandi, veram rationem, ex qua ad ad-

ministrationem translata erat, usque inculcaret: ea, quae in ipsa ejus publicatione animos moverunt, plane exstingui ac deleri non poterant. Nam non est, ut opinantur, id ingenium infiniti imperii unius, ut mensa sub eo tuto consistere nequeat, vel fides non admodum firmo fundamento nitatur; neque magis rerumpublicarum, ut illa in iis certa et inconcussa floreat. Contrarium historia evincit. Danica enim mensa ad a. 1756. tanta firmitate tantaque fide gaudebat, quanta vix ulla de se praedicare poterat; Hamburgii vero et Sueciae, quibus forma reipublicae erat, mensa perturbationibus, quas negotiorum nimia studia et abusus gignebant, magnopere laborabant. At majore cum cautione, cura et circumspectione fidem in regnis imperio unius infinito subjectis, quam alibi, tractari debere, non opus est demonstrari. Locum quoque illum, in quo cuivis mensae administrationi majora negotia audenti, ni commoda sua ipsa perdere vult, subsistendum est, civitatis administratio, quae de inceptis suis ab aliis in judicium non vocatur, ignorat. Mensa enim lucra de syngraphis pecuniarum sibi creditarum inter singulos earum possessores dividenda suis schedulis facit; quarum vero numero nimis adaucto (ita lucra quidem ista perpetuo amplificantur) si pretium tali modo decrescit, ut majora haec lucra non idem, si ad argentum putas, valent, atque illa minora tum, cum schedularum pretium majus esset: tempus advenit, quo mensae, ut instituto privato, ab ampli-

ficationibus, si suum bonum spectat, desistendum est [64]. Verum civitatis administratio, quae in suum commodum schedulas edit, his terminis se non coerceri autumat; consiliis ejus omnes illae pecuniae celeriter procreatae pro lucro sunt, et, sibi ipsi eas debens, de usuris non est sollicita. Ita fit, ut mensa in administrationis regni potestate tam facile ad expensa invitet, quibus parsum fuisset, si usurae singulis annis pendendae de istorum magnitudine usque admonerent.

Eorum, quae justitia praecipit, violatione sententiae de probis moribus hominum animis infixae, quae cuique rerum publicarum administrationi fundamenti instar esse debent, sensim labefiunt; praecepta gignuntur, quae, verbis enuntiata, illis, qui consiliis suis ea introducunt et muniunt, primis horrorem incuterent. Quam brevi post mensae publicationem tempore ratio unice vera, qua de pretio nummorum, qui in usu sunt, judicandum est, edicto die 9. Decembris 1773. promulgato, plane perturbabatur! Neque multo post ob parvum administrationis lucrum [65] pretio minorum nummorum Calendis Maji 1775. imminuto Hafniae quies in periculum vocata et pauperum et egenorum ordines immeritis jacturis, graviter eos vexantibus, objecti sunt. Verum quidem est, jam argento haud justo pondere excuso contra sententias illas peccari; neque quis-

64) *Büschingii Abhandlung über Banken.* §. 46

65) vde. Clio. a. 1813. fasc. II. p. 20.

quam, nisi qui rationem muneris, ex quo civitas nummos feriendos curat, (*Münzregal*) plane nescit, neque damna et lucra civitatis et subditorum separari non posse intelligit, talia suadere in animum inducet. Sed cum tam tecte, tam occulto civitatis administratio remediis istis contra periculorum incidentium impetum uti insistat, ipsa tacite profitetur, se ut leges illas migret necessitate coactam esse: quod tum, ut e calamitate in omnes incumbente prognatum, cunctos etiam attingit. Pretii minorum nummorum imminutio paucis horis post, quam a mensa tanquam justi in vulgus editi erant, eas leges, quas administratio Daniae et ante et post illud tempus fulcire et sustentare studuit, palam subversura esse videbatur. Praeterea in eum potissimum ordinem cecidit, qui tali jacturae ferendae minime par erat. Omnia haec nihil nisi inani rumori; schedulas quoque imperialem unum valentes pretio extenuatum iri, alimenta praebebant et quantopere, si administratio vel specie levia in re pecuniaria tentare conatur, civitatis tranquillitas et firmitas tangatur, perspicue docebat. — Sicut honestas et probitas civium fidem firmant et, si quando mala et inopia in eum irruunt, auxilia ei et adjumenta parant: ita civitas certo et mansuro columine, valida et inconcussa fide utitur, si administratio illarum virtutum sinceram speciem fert. De publica re pecuniaria non ita quidem judicari debet, ut de magnae domus mercatoriae inceptis: nam haec cum civium dispen-

dio se ipsam ditare potest; sed illa nullum novit lucrum, quod ex subditorum damno nascatur; et si aerarii reditus augentur, neque veri subditorum reditns crescunt, summa quidem potestas grandioribus opibus, majore amplitudine et auctoritate externa instructa surgere potest; sed neque terra opulentior, neque populus felicior, certe non probior et honestior evadit. At in multis publica et privatorum hominum oeconomia plane congruunt; nam ut in una parcimonia utriusque felicia incrementa nituntur, ita etiam religiosa istarum legum observatio utrique summae saluti est. Violatio vero earum in vita privata conjunctionem inter cives dirimit, et in publica vincnlum inter civitatem et subditos disrumpit; nam ex sententia viri, qui penitissimam humani ingenii cognitionem vel his verbis probavit: multo facilius dolor de patris morte, quam de bonorum amissione ex hominum animis decedit 66).

Attamen publicatio mensae pecuniarum rationibus, quas Schimmelmannus civitatis opulentiae maxime conducere putabat, necessaria existimari debet; nam, nisi ita rem spectamus, intelligi paene non potest, cur tribus annis ante temporis in concessione supra memorata constituti finem, quo administratio sine promissionum violatione idem assecutura fuisset, consilinm istud ad effectum adduxerit. Nomen suum salva con-

66) *Macchiavel del principe* caput. XVI.

cessione aeque facile dissolvere poterat, eoque magis, cum syngrapharum de pecuniis mensae creditis, centenarum quidem pretio trecentorum et quinquaginta imperialium, redemtio et usurae quincunces lucri speciem prae se ferrent. Fructus praesens, quem secundum putationem superius institutam per tres annos capi licebat, ad tale quid continuo exsequendum solus permovere non poterat: una illa cogitatio, in mensae publicatione consilia de ampla mercatura nisura esse, omnia, quae diversum suadere debebant, superaverit necesse est. Si quis vero propriae utilitatis studia hominum privatorum istius rei caussam fuisse dixerit: non negamus quidem, illa utique momentum in consiliis a singulis de re pecuniaria editis habere posse; sed ubi id agitur, ut universae rationes ab administratione quadam probatae exponantur, momentum istud et singula, quae inde orta sunt, et quae ab eo dependent, consilia abire et quasi evanescere debent. Hinc ea, quae ab administratione sui tantum lucri studiosorum suasu facta sunt, silentio praetereuntur. Verum non eo hoc fit, tanquam si regni opulentiae damna inferre nequirent; sed quod per se nihil ad universas rationes, totum quid et integrum efficientes, pertinent; fortuita enim sunt, quae a corpore sejungi et separari queunt, neque quicquam ejus constitutionem mutant. Talia vero consilii summae nonnunquam opposita esse videntur, eoque pejus etiam civitatem afficiunt. Probantur haec constitutione

die 18. Martii 1776. edita 67), quae tributum viginti imperialium in singula navium spatia, quae dicimus *Commerzlast*, de quavis nave in exteris terris aedificata, dum mercatura eâ fieret, solvi jubebatur et commercium cum India occidentali non nisi navibus in ipsa terra factis concedebatur 68). Nam per tempus, quo mercatura cum exteris populis agenda pro gravissimo opulentiae publicae fonte habebatur, quo et constitutiones promulgabantur, et multa institui coepta erant, quae mercaturae istius ope ad emendandam pecuniarum conditionem facerent: per hoc, inquam, tempus constitutio, quae navium ad commercia cum exteris necessariarum emtiones tum impediret, cum ob bellum a principibus Europae civitatibus, quae mercaturam agebant, navium belli causa inutilium pretia imminuta essent, ut consilio universo plane repugnare videretur necesse erat; itaque fortasse non injuria a privatorum hominum lucri studiis profecta esse dicebatur 69). Si autem forte opificium unum cum omnium dispendio evehendi consilium hanc constitutionem protulerit, inde clarum fiat, (graviter

67) vd sect. III. §. 1. mutata constitutione die 10. Januarii 1780. ed. et plane sublata constitut. die 15. Januarii 1781. ed.

68) vd constitut. cit. sect IV. §. 1. abrogatam edictis die 13. Decembris 1779. et 15. Januarii 1781. ed.

69) Yves pag. 73.

etiam de ea re ab initio conquesti sunt) quam necessarium sit, ut in quovis consilio, quo unius opificii exercitationem fructuosiorem fieri volunt, accurate definiatur, quam vim in universa exserat, nec in externa specie commodorum, quae ita singulis ordinibus contingere possint, acquiescatur. Sine dubio in iis, quae modo disseruimus, contra monitum est, navalibus opera navetur, an mercatores ob vilius navium pretium majora lucra adipiscerentur, ejusdem in terram momenti esse. Sed ne veram rationem, qua mercaturae et opificiorum vis in terrae opulentiam spectari debeant, ex animo omittamus! Tum patebit, non necesse esse, ut mercator negotiationibus suis ideo minorem quaestum faciat, quia, quae ad vecturam pertineant, magno ei constent; nam inde aucta mercium pretia orientur, si eodem, quo ante, modo porro expetantur; et ut illae cariores fiunt, ita, qui iis utuntur, et ipsa inde terra damnis afficiuntur. Similiter etiam apparet, pecunias, ita cum fructu in navibus aedificandis collocatas, primum quidem terrae utilitatem praebere; sed, cum contra aucta etiam mercium pretia efficiant, eandem iterum tollere; multo majora sine dubio terrae commoda ex iis creata essent, si ratione ipsis conveniente et propria, neque tanta reliquis opificiis damna illatura, fuissent adhibitae.

Rationes, quas administratio sequebatur, ex sola re mercatoria petitae erant; ipsam mercaturam ex se pecuniarum in melius

restitutionem et opulentiam terrae procreare volebat. Et vero etiam, postquam iste perpetuorum certaminum fons, Oldenburgio cum ducali Holsatiae parte permutato, tam feliciter occlusus fuerat, tempus advenisse videbatur, quo Dania neque in internis rebus, neque in externis sollicitata, unice suis opum fontibus recte in usum vertendis intenta, prosperum civitatis statum firmare posset. Accesserunt contentiones inter colonias Americae septentrionalis cum Anglis jam ad bellum spectantes, quae certam floris spem Danorum mercaturae ferebant. Ac Schimmelmanno persuasum esse videbatur, regni administrationem, si ipsa mercatoris partes susciperet eadem commoda percepturam esse, quibus homines privatos inde frui ipse experiebatur. Placuit igitur, ut administratio vel ipsa mercatura potiretur, vel certe iis, quae e vectigalibus redibant, commerciorum cum aliis terris amplificatione augendis, certum lucrum auferret; nam cum vectigalia e ratione sua mercis illatae modum et pretium sequantur, aerarium, e frequentiore invectione et exportatione, etiam non curans, num per se in longius tempus fructuosae futurae sint, an non, necessario magnum quaestum facit. Lucro, quod aerarium ex aucta rerum commutatione proxime (*direct*) capiebat, addenda etiam sunt, quae e nova constitutione de chartis publico signo notatis, die 27. Novembris 1775. promulgata, lucrifacta sunt; nam hoc tributum non est (quod multi contendunt), ut con-

suetis vocabulis utamur, indirectum, in rerum consumtionem impositum, sed directum, de alienatione et permutatione mercium pendendum. Priores tabulae 70) ejus summam quadraginta imperialium millibus aestimant, sed jam a. 1777. ducenta fere inde rediisse dicunt 71). Hoc tributum facilitate, qua, justa forma munitum et a peculatu, rationibus rei pecuniariae administratorum perniciosissimo, paene liberum, exigi potest, gratissimum factum et in omnibus terris receptum est; sed etiam in hoc modum excedi et, reditibus, quos aerarium inde sibi parare cupit, fructuoso pecuniarum usui in terra repugnantibus, populi opulentiae offici posse, quis est, qui in dubitationem vocet? „Quae sit causa, jam rogat aliquis, cur ille praedia et bona sua vendat?" sine dubio novit, ubi pecunias suas alibi ita ponat, ut plura, quam ante, ei inde lucrifiant. „Sed quae est, cur hic ea emere velit?" Plerumque certe, quia hunc pecuniarum usum majore, quam is, quem ante fecerit, lucro se beaturum esse existimat. Ita sola harum pecuniarum permutatio civitati utilis esse debet, quia ita singulorum rebus recte prospici probabiliter contendere possumus; sed si tributum in alienatione pendendum tantopere augetur, ut quaestum, qui singulis ex hac permutatione oriri debeat, devoret, nonne tum increscens civium opulentia impeditur et reprimitur?

70) *Büschingii Magazin* P. VI. p. 289.

71) *Authentische Actenstücke* p. 123.

E mercaturae rationibus, de quibus modo expositum, administratio primum commercium Islandicum agendum suscepit. Hujus insulae, violentis societatis monopolio instructae vexationibus ad inopiam redactae, habitatores saepius acerbe querebantur; et cum ipsa societas usque majora ab iis postularet, terra sine ullo ampliore societatis universae commodo in dies fere magis premebatur, ita factum, ut mutatio in hoc mercatu necessitate ipsa posceretur. Sibi igitur aptissimam administratio hanc mercaturae partem putavit; sed minus insulae malum excepit majus 72), et administrationem magna emolumenta ex hoc mercatu capiendi spes brevi fefellit. Eodem anno (1774.) commercium Groenlandicum (quod quae prius agebat societas, ea dissoluta est), juncta balaenarum et phocarum captura, quae in mari quod dicitur glaciali fiebat, pro regis rationibus exercebatur; sed etiam in hoc incepto aerarium, lucri spe elatum, magnas pecuniarum summas perdidit. Constitutione die 2. Julii 1781. publicata mercatus Islandicus et Groenlandicus cum eo, qui in Finnmarchia et in insulis Faeroniis fiebat, conjunctus est; et cum administratio eum omittere nollet, viros, qui universis his porro agendis praeessent, deligebat. Ac ne populus lucri, quod ex hac nova ejus administratione sperabatur, expers esset, appellatus est, ut in viginti millium syngrapharum, quas dividere

72) Höst l. c. p. 246.

animus erat, partem in hoc mercatu veniret. Sed omnia ista commoda a regni administratione promissa neque homines privatos ad mercatum, qui monopolii vinculis adstrictus accessorias, quas dicunt, terras ad egestatem redegerat, nec participes, prius in societatibus collectos, ditaverat, neque isti impedire poterant, quo minus mercatus ab administratione actus civitati inutilis esset 73).

Num etiam hujus argumenti res indigebat, ut civitatis administrationem non idoneam esse probaretur, quae ipsa mercaturae munera susciperet? summae in regno potestatis dignitati non convenit, ut ipsa mercatoris partes subeat; nam, quantumvis huic ordini honorem suum tribuimus, tamen sua ipsius commoda pro primario contentionum suarum fini habet, imo habere debet; illa vero, cui in singulo quoque incepto ad universa spectandum est, unius vel peculiare commodnm curare non potest; hinc etiam, quaecunque, si vel conficiuntur vel alienantur, non ad omnes et ad ipsius civitatis integritatem pertinent, soli privatorum hominum studio relinquenda sunt. Administratio si in ulla mercaturae parte una cum singulis rem agit, statim quemvis alium hominem privatum, quia superior multo est omnibus, premit; et monopolium, licet vitetur nomen invisum, cito irrepit. Sed nemo credat, ob administrationis monopolium in aerarium publicum ea omnia confluere,

73) *Minerva fasc in Januarium* a. 1791. Cf. C. *Pontoppidani Magazin* P. I. 1792.

quae terrae accessoriae isto graviter tactae amittunt. Auctiores impensae, quibus mercatus administrari debet, et temeritas et negligentia, qua nonnunquam delecti, publicam mercedem accipientes, munera, quorum successus nihil fere ad sua commoda attinent, obire solent, lucra omnia devorant, quae aerario ex monopolio contingere queant; atque „ita incepta, quae administrationi civitatis gravis momenti sunt, vel indignatione, vel inscientia, vel malis consiliis pereunt 74)."

Num demonstrato opus erit, mercaturam, quae per monopolia agitatur, sicut in ipsa terra liberae hominum actioni et occupationi impedimento est, ita terrae accessoriae, tanquam colonia tractatae, opulentiam reprimere? et omnia, a regnorum administrationibus, ut opificia terris propria proveliantur, instructa, monopoliorum vi irrita fieri debere? Quid est, quod omnium vehementissime industriam hominum impellat, ut, postquam, quae ad vivendum maxime necessaria, sibi acquisiverint, merces mercaturae idoneas comparent? Nihil puto nisi laeta spes e contentionibus, quas auctius rerum conficiendarum studium sibi poscit, exspectatum fructum capiendi atque sic vita magis meliusque perfruendi. At si monopolium prohibet, quominus sua ratione, licitatione scilicet et modo, quo merces expetuntur, constituantur pretia;

74) Regnum mandatum ad rectores commercii Groenlandici die 4. Augusti 1778. dat.

si ipsum potius ea praefinit; si mercatura eo instructa commoda ex auctis hominum studiis et contentionibus orientia ad se omnia rapere callet, neque singulis aliqua, velut gnavitatis praemia, relinquit: nonne cum cunctis industriae incitamentis ipsa industria peribit? Porro monopolium instituit, ut victus, qui in terras accessorias importari debebat, semper nimio pretio veneat; et eorum, quae in his gignuntur, non tam multa expetantur, quam homines increscente sedulitate parant et venalia offerunt; nonne, quaeso, tali mercatu provinciae istae necessario ad inopiam redigantur? nonne ligo ipsius arboris radicibus injicitur, cujus frugibus frui volunt? mercatura in regionibus septentrionalibus, licet et situ et hominum cultu coloniarum instar sint, permutari tamen non debet cum ea, quae inter Europaeos fit eorumque colonias in zona torrida sitas; nam quamvis etiam in his monopolia impediunt, quo minus omnia commoda et emolumenta, quae e libera populorum omnium mercatura effloritura essent, sese explicent, per longum tempus patriae conducentia, neque tamen coloniarum studia et industriam prohibentia obtinuerunt. Sed ibi ad terrae culturam et ad maximam partem operae et laborum, qui manu fiunt, servi adhibentur, in quibus quidem domini longe aliis sedulitatis incitamentis uti possunt, atque in liberis hominibus. Si vero liberi operibus vacant, praecipue sicubi coeli temperies et malus animorum cultus ad segnitiem et pigritiam invitant,

postquam ea, quibus ad vivendum carere non possunt, sibi comparaverunt, multo lubentius cessant, quam ut majorem subeant virium contentionem, ni fructus statim percepturi sunt; nam sine dubio vel rudissimorum hominum id ingenium est, ut ad meliorem vitae conditionem (in quacunque demum re eam ponant), quamdiu attingi posse sperant, acriter tendant. Et quanto perniciosior haec mercatura terris accessoriis eo facta est, ut quendam impensarum inanium modum et vini adusti cupidinem incolis injicerent; quibus deinde si ex animo satisfacere poterant, summam putabant se felicitatem adeptos; sed ad inopiam et miseriam insignem redigebantur 75).

Mali successus commerciorum aerarii sumtibus actorum de consilio, ex quo commercia cum alienis terris omnem administrationis intentionem sibi poscebant, nihil poterant mutare. Etiam hoc est incommodum, quod nulli civitatis administrationi, mercatoris munera subeunti, vitare unquam licet. Mercator enim si anno finito rationes computans damna sibi orta cognoscit: utilitas eum ab inceptis, quae spem fefellerant, avertet; imo, si forte caeca cupidine vel falso de opportunitatibus et incommodis (*guten und schlechten Conjuncturen*) in re sua judicio ad continuandam hanc negotiationem, lucra somni-

75) Erichsenii Prooemium ad editionem danicam libri; *Olavii oconomische Reisen in Island.*

ans, abripitur: opes ejus, quae brevi consumuntur, malo consilio modum figunt; sed civitatis administratio non quotannis de vero mercaturae suae statu certior fit; tum etiam ab administratoribus commerciorum, qui mercedem annuam accipiunt, nec quicquam, utcunque evenerit, de suo deperdunt, meliorum, si prima impedimenta e re ipsa manantia, vel quaecunque damnorum causae ab ipsis perhibentur, remotae fuerint, eventuum spe usque detinetur. Ejus opes non, ut privatis hominibus, exhauriuntur; nam ad fidem publicam sive ad mensam suam ei confugere licet. At quamquam omnia cum exteris commercia se sibi arrogare non posse vel ita fas non esse intellexerat, tamen etiam tum, quae volebat, assequi videbatur, quod mercaturam cum exteris agendam omni modo amplificare et augere studebat.

Cujusque terrae mercatura ex situ ipsius, e coloniarum copia, denique e multitudine et varietate eorum, quae in ipsa et in coloniis gignuntur, fluit. Quae ex his nascitur, in his nititur mercatura, sola ex ipsa terrae natura oritur, sola ei conveniens, firmaque est et diutissime permanebit. Terrae situm natura instituit; hinc in mercaturae ratione, quam hic quasi praecipit, quaedam mutare non continget, nisi si multa apposite ad ista et feliciter fiant; neque in longius tempus continget, quam per quod haec juvabunt. Ita etiam commerciis cum coloniis, quamdiu monopoliorum ope aguntur, certi fines

ex ipsa re statuuntur, intra quos majores civitates ob ampliorem potentiam minores bene continent. Eorum, quae incolae viribus suis conficiunt, modum natura quidem dedit; sed non ad amussim terminatum, ita ut administrationis consilia et singulorum industria ac diligentia momentum in eam habeant. In his igitur mercatura, quam firmiora usque incrementa capere neque a sola rerum, quas feliciter casuras esse spes, alea pendere velis, inniti debet. Ita ex ipso populo quasi procedit, ita verae civitatis opulentiae verisque opibus, ut omnia, quae in populo sensim, sine ulla potentiorum ope, et quasi sponte oriuntur, summo emolumento erit. Id igitur commerciorum genus, quod in ipsa terra inter cives fit, momenti longe gravissimi est, quia cum iis, quae hominum industria et soli fertilitas creat, arctissime cohaerent; et quantumcunque commercia cum exteris a potentissimis civitatium, quae mercatui student, juncta incitamentorum et speciosi splendoris habent, vera vastae magnitudinis et potentiae ratio in admiranda gnavitate et sedulitate incolarum quaeri debet. Quae cum disputamus, non volumus intelligi, terram e rebus forte fortuna feciliter evenientibus non quaestum quem possit optimum facere debere; imo quam maxime debet, cum saepius immerita opulentiae suae impedimenta casibus nescio unde incidentibus objiciantur; sed quia ejusmodi opportunitates et incommoda cito abeunt et a consilio semper persequendo discedere cogunt: commer-

ciorum cum exteris, neque in situ, neque in fructibus terrae nitentia, magna cum cura et cautione custodienda sunt, ne fines e temporum conditione sibi scriptos transeant ac civitatis opes et vires ab iis, ad quae in consueto rerum cursu adhibentur, avertant et tandem exhauriant. At si haec non ita fiunt; si quaecunque illa ratione lucrifacta esse videntur, denuo semper in commercia cum exteris insumuntur; si, quae feliciter per tempus aliquod evenerunt, jam non esse haud animadvertitur; si incommodis male cautis ea iterum amittuntur, quae opportunitatibus acquisita erant: tum liquido patebit, tempus illud specie felicissimum terrae inutile praeteriisse; atque adeo, ni interea opificia ejus ob virium in commercia cum exteris impensam inhibita sunt; ni cupidines, opulentiae ejus diu offuturae, in populo motae sunt: bene de ea actum esse sanus praedicabis. Ne ea quidem, quae commercio cum exteris ob vectigalia plura statim in aerarium conferunt, integra pro reditibus civitatis auctis haberi possunt; nam si illa majores ob commercia multiplicata sumtus supeditarunt, intelligetur, has pecunias ampliores reditibus additas, pauca vel adeo nihil ad prosperum acceptorum et expensorum aequalitatem contulisse. Sed si magis etiam hunc eorum effectum minuamus, quam verum patitur, tamen istae mercaturae rationes, quae commercia cum exteris praeferebant, ut aucta inde vectigalia reditus publicos amplificarent, a mala istorum temporum opinione, ad-

modum vulgata, pendebat: redituum magnitudine opulentiam publicam omnino metiendam esse.

Daniae ad mare Balticum situs et soli fertilitas, varietas et copia eorum, quae Norvegia tum ei adjuncta gignit, facilitas, qua singulae regni partes per maria et freta commercia habere poterant, coloniarum extra Europam sitarum incrementa, postquam societatis, ab India occidentali appellatae, dissolutione (a. 1754.) et concessionis anno 1772. societati Asiaticae a rege datae renovatione subditis etiam in commerciorum modo dictorum partem venire permissum erat: haec rationem, qua amplificata Danorum mercatura tum apposite ad indolem suam agenda erat, praefinire videbantur. Majore quidem potentia, qua in Baltico mari reliquis praevalere natura quasi ei concesserat, Dania non utebatur, nam urbes ad mercaturam foederatae (*Hansestädte*) hoc mercatu mature potiti erant; et post earum lapsum civitates mari potentes aemulationem inter Daniam et Sueciam alere easque hoc mercatu evertere callebant. Ita potentia in dies fere augescens ejus possessionem, cui non mature satis suum pretium a Danis statutum est, istis munivit. Fridericus demum IV serio id egit, ut mercaturam, Daniae omnium convenientissimam, patriae iterum vindicaret; sed cum jam eam in Baltico mari agendam comparare et Hafniae moderari apud animum constituisset, mors eum abripuit. Postquam amplificatum de mercatura consilium, felici temporum conditione adjutum,

omnem administrationis intentionem ad se converterat, iste mercatus eam non fefellit, sed aliis modis, atque sub Friderico IV, affectabatur. Conjunctio maris Baltici et Germanici canali Slesvicensi-Holsatico facta mercaturam in mari Baltico magis ab Hafnia avertit; quae urbs et situ, et multis ob mercaturam institutis, et propter sortem multo ceteris majorem ad istius mercatus emporium longe aptissima esse videtur; neque id effecit canalis ille, ut Anglis et Batavis in mercatura, quam ipsi in mari Baltico agebant, multum incommodi ferret; ita nec Toenninga, nec apparatus tantis sumtibus Holtenauii facti ad eam rem quicquam contulere 76). Nihilominus tamen memorari debet, commercia, quae ducatus inter se agebant, ob commeatuum facilitatem insigniter increvisse et merces apud se transvehendi vel transmittendi cura (*Speditions- und Transitohandel*), cui hae provinciae canalis ope impensius studebant, partem sumtuum in eum ducendum (nam duo millia novarum schedularum ad istos sustinendos edita erant) 77) pensatam esse.

Itaque commercia cum exteris novae pecuniarum publicarum rationi pro fundamento erant; dum enim civitatibus Europae bella gerentibus mercatura cum coloniis non pateret, Daniam in

76) Olufsen l. c., pag. 360.

77) Yves l. c. pag. 75. seqq.

neutrius partem inclinantem suam servare, atque ea via et amplificata mercium vectura, navium vexillo medios ostendente (*neutrale Flagge*) tecta et defensa, magnas divitias acquirere et terrae opulentiam augere volebant. Ut haec mercatura magnis opibus ageretur, quibus singulae hominum privatorum sufficere non putabantur, societatium curae tradere parabant; nam jam prius eam sententiam, nullum commercium, nisi quod societatibus fiat, florere posse, pronuntiaverant 78). Firmitatem ei necessariam inde accesuram opinabantur, si grandes pecuniae certis ejus partibus assignarent, et quasi adstringerent, sed haec sortis velut alligatio a firmitate mercaturae diversissima est. Hinc etiam commercium cum India occidentali, quod ab a. 1754. liberum fuerat, ut certius regi et gubernari posset, soli Hafniae exercendum permittebatur 79), et, quamvis libertatis ante concessae emolumenta et laetis coloniae incrementis et lucris patriae e mercatura redundantibus ostendebantur, tamen certae societati ob consilium illud tradebatur 80). Subsidia, quae rex ei indulsit et eorum, qui neutri bellantium parti se addixerant, commercii cum coloniis opportunitas brevi tempore hujus societatis syngraphas in amplam pretii magnitudinem evexe-

78) *Conferenz an den König* 1771. l. c.

79) Cf. Constitut. die 7. Aprilis 1777. ed.

80) vd. *Octroi*, 11. *Mai* 1778.

runt; sed, singulis lucra capientibus, inde prima origo foenoris perniciosissimi, quod postea syngraphis tanto civitatis malo exercebatur, processit. Commercium cum Guinea et omnibus omnino extra Europam terris, ut quod a mari Baltico cum tota Europa fiebat, tanquam monopolium, certae societati soli mandabatur 81); hujus 30000 syngraphas eo impendi placuit, ut subditi omnes largissimi, quem inde exspectabant, quaestus 82) participes fierent; sed cunctos ordines insana mercaturae, quae syngraphis agitur, cupido, postea singulorum opulentiae tantopere officiens, vehementer corripuit. Alia societas, cui a canali nomen imposuerunt, non solum navigationem in canali Slesvicensi-Holsatico comparatura, sed et eorum, quae in fabricis Danorum et Norvegiensium conficiebantur, venditionem et mercium vitrearum per totum regnum ad canalis ostium, monopolium obtentura, die 10. Maji 1782. instituebatur; et, licet nunquam, quae concessa ei erant, cuncta exerceret, tamen syngrapharum mercatus etiam ab ipsa auctus et ita pecuniae aliis opificiis subductae.

Mensa sola civitatis administrationi opes praebuit, quibus haec cum consilio suo convenire visa exornaret et opinatarum divitiarum comparatione hunc mercatum, veras civitatis vires superantem, repente suscitaret. In animum quaeso

81) *Octroi* 5. *Juli* 1781.

82) *Politisches Journal* 1787. p. 700.

revoces, societati, quae Indiae occidentalis dicitur, aedificia et naves 1,617324 imperialium pretio et 1,382676 impp. sortem simul et potestatem, quamlibet pecuniae praesentis summam a mensa sine pignore mutuo accipiendi, (*Blanco-credit*) a civitatis administratione esse concessam. Eodem modo reliquae societates recens institutae pro magnitudine et conditione sua sorte instruebantur, quae, ad negotiationes exercendas maxime necessaria, syngrapharum collationibus sero parata fuisset. Sed tantum abest, ut administratio in mensae publicatione de tam amplis quaestibus mercatoriis, quorum sortem suppeditabat, ante cogitaverit: ut fortuita rerum conditio consilium, quod ad majora usque incrementa capienda persequi statuerat, spe magis prosperaverit, et ab initio feliciorem adeo, quam exspectari poterat, eventum polliceretur. Verum nimia schedularum multiplicatio ex his necessario sequebatur; nam vel sumtuosi apparatus classium, quibus, licet neutram pugnantium partem juvantes (*bewaffnete Neutralität*), ut verum fateamur, mercaturae tutandae et defendendae causa operam dare debebant, non nisi schedularum a mensa pro expendendis confectarum ope fieri poterant: pauca enim admodum e tributis, quae in navium spatia solvebantur, auctis 83), et ex illis, quibus quarta unciae pars de praediorum pretio dabatur, nunc ad insulas quoque Indiae

83) Cf. Constitut. die 17. Martii 1779. ed.

occidentalis, ad Norvegiam et ducatus 84) relatis, redierunt, si conferas ad sexagies centena millia imperialium 85), quae apparatus isti consumsisse dicuntur. Porro schedulis ita confectis, non majore quam signandi pretio administrationi constantibus, canalem ducendum curabant; cum plura nomina in ipsa terra contracta expediebant, et syngraphae, de quibus usurae solvi debebant, cum schedulis permutabantur. Sed quaestus ex hominum contentionibus et studiis ita auctis oriens et pecuniae subditis restitutae, nonne speciosa erant et inania? nonne pecuniae, e quibus quincunces fere usuras ante ceperant 86), privatis hominibus redditae, praecipue ad mercaturam adhibendae erant, in qua sola eas aeque fructuose ponendi exspectatio arridebat, postquam legitimae usurae ad trientem redactae et tributum, quo quarta unciae pars pendebatur, praediis impositum alium earum usum minus adeo quaestuosum reddiderant? Num divitiae, ita ad homines redeuntes, etiam si in firmiori fundamento nisae fuissent, agriculturae et opificiis magis conduxissent? Sed civitatis administratio mercaturae

84) Constitutt. diebus 13. April. 1779. et 31. Maji 1781. edd.

85) Olufsen l. c. pag. 363.

86) A. 1770. aes alienum in ipsa terra conflatum, usuris quincuncibus positum, ad 2,505280 impp. adscendit. v. Büsching. P. XIV. p. 91.

etiam amplificationi e consilio suo studebat. Quid igitur aptius excogitari poterat, quam ut redituum aequalitas, liberata ab expendendis aliquibus, quodammodo restitueretur, (nam ita administratio usuris in partem nominum solvendis levabatur) et subditis consilii publici exsequendi adjumenta traderentur? Omnes pecunias mercatura devoravit. Vulgo quidem eae tantum pecuniae adduntur mercaturae sortibus, quibus vel in ipso mercatu parsum est, vel quarum in agricultura et in fabricis usus fieri nequit. Hinc quibus in his rerum quaerendarum modis, nulla re veram, quae inter opificia obtinere debet, rationem turbante, parcitur, ea ipsis lucro sunt; et tum demum, si neque amplificari, neque in melius redigi possunt, sponte ad mercaturae sortem transeunt. Sed nimio mercatorum quaestu fiebat, ut omnes pecuniae iis rebus, quibus regni administratio tam praeclare favebat, cupide insumerentur. Sortis igitur in tot syngraphas distributio, ea, quibus in quovis opificio parcebatur, ad mercaturam transferre volebat; hinc, cum prima societatium incepta prospere succedere viderentur, omnibus ac singulis e mercatura syngraphis agenda divitias petere animus erat. Nummorum defectus opificiis exercendis et suscitandis aperte obfuit. Praedia pignori opponebantur, ut subsidia, quibus in hujus mercaturae partem venirent, pararentur; et verorum redituum firmitas cum commodorum incertorum alea permutabatur. Sed unum, quod diligentem harum rerum obser-

vatorem fallere non poterit, in luce clarissima ostendit, quo tandem id mercaturae genus devenerit? Nunquam, ex quo sortium alea in Dania introducta est, universa eorum, quae in hoc ludo posita erant, summa tam parva erat, quam anno 1781-1783. Profecto mercatura illa idem plane est, ac sortium alea, haec minor, major illa; et plane easdem perturbationes, easdem miserias subditorum opulentiae et felicitati pro modis suis injiciunt.

Proclivitas, qua mensa privatis hominibus tam variis pignoribus plane contra primarium finem suum pecunias mutuo dedit, itidem ad commercia cum exteris terris augenda contulit. Quantopere vero ea amplificata fuerint, eo intelligitur, quod merces ex India orientali revectae, quae ad a. 1745. non multo amplius quinquies centenis imperialium millibus, et ad a. 1772. decies centenis millibus in annum aestimari poterant, jam per annorum 1775-1786. quemque quinquagies et quinquies centena millia conficiebant; et quod numerus navium mercibus repletarum, quae ex occidentali India redibant, pariter magnum in modum increvit 87). Büschius etiam ostendit, quomodo pecuniis a mensa suppeditatis singulorum opes ad magnas negotiationes adauctae fuerint 88). Quum primum eo perve-

87) *Olufsen* l. c. p. 374. et *Götting. Magazin. Jahrgang* III. p. 357.

88) vd. *Abhandlung über Banken. Anhang.* IV.

nissent, ut syngraphas, quibus de nave et onere contra naufragiorum damna se tutos praestarent (*Assurance-Police*), oppignerare possent, subsidia accipiebant, sive nova incepta audendi, sive ea apud peregrinos schedulis suis solvendi, quorum causa res suas instituturae fidem apud eos quaerere coactae fuerant. Hac ratione vel magna schedularum multitudo civitatis fines transivit, atque incertam et inconstantem monetae rationem eodem tempore reddidit, quo Daniae negotiationes prosperis successibus florebant 89); vel in pernicioso isto negotio per cambias facto, quod appellamus *Wechselreiterei*, lucra, quae justae mercaturae sufficere possent, universa devorante, perseverabant. Et ad hanc perseverationem omni cura et sollicitatione liberam effrenata mercaturae syngraphis agendae cupido, (quae jam omnium ordinum animos occupaverat) et speciosi ejus fructus homines impulerant; et caeca propriae fortunae confidentia, quae in mortalium mentibus latet, et, si suscitatur, summam in eos potentiam exercet, ad nova audenda incitavit. Quum jam Novembris fine a. 1782. praeviae, quas dicunt, pacis conditiones Versaliis subnotatae essent, res, quae adhuc populorum mediorum mercaturae feliciter ceciderant, jamjam desinere, prudentiores augurari poterant; tamen apparatus mercatorii vere anni 1783. pari, quo

89) vd. *Courstabelle für* 1781. *u.* 1782. l. c.

ante, studio facti, cum eadem lucrorum spes sana mente amplius foveri nequiret.

Quaestus, qui ad homines societatium syngraphas possidentes venire debet, eodem modo minuitur, quo regni administratio suum quaestum e mercatibus, delectis administratoribus mandatis, redeuntem amittit; neque in societatibus exspectari potest, ut homines, qui mercede pacta eorum curam susceperunt, idem studium eandemque prudentiam probent, quam mercator in suis rebus agendis. Lucra, quae talium societatium magistri faciunt, vulgo non eodem modo augentur et minuuntur, ac quae syngrapharum possessores; tum inscientia et mala fides non raro (ex ipsa Danicarum societatium in isto tempore historia cognosces) mercaturae commoda perdunt. Sed, etiamsi societates non iis opibus instructae sunt, quae administrationem in consilio pridem capto perstituram ad negotiationes infructuosas persequendas incitant: pecuniae earum certis et ante definitis negotiationibus adstrictae sunt; nec opportunitatum et incommodorum conversione ad immutandam quaestuum rationem, ut singulis, ei uti licet. Mercatores, ipsi munera sua obeuntes, haec negligere non solent; ubicunque libera est et concessa mercatura, ejus studium forum quasi sibi condit. Sortis fixae cum nummis permutatio ei multo facilior est, quam cuivis societati; nam ipsius nutus et arbitrium de novo ejus usu, fortasse in alio plane opificio, faciendo decernit. Societati contra interdum ea optio

datur, utrum per tempus aliquod cessare, et ingentem sortem in navibus et sumtuose institutis fixam usuris atteri et consumi, et administrorum mercedes ab ipso capite peti; an vel damna exspectantes novis inceptis fortunam tentare velint. Cur vero tot homines privati, ut societates, incepta a. 1783. persequerentur, causam invenies in mercandi cupidine, ne dicam pruritu, supra modum aucta et per omnes populi ordines propagata. Tabulae de mercibus ex India orientali revectis, quae 1785-1786. venditae sunt [90], demonstrant, profectionum istuc factarum numerum, postquam pax Versaliis rite inita de mutata mercaturae Danicae conditione dubitari non sinebat, haud magnopere decrevisse; deinde etiam commercium cum India occidentali post illud tempus rectum modum excessisse, et summum illud damnum, quod cum societates, quae ab India occidentali, et quae a mari Baltico et Guinea nomina duxerunt, fecissent, necessario dissolvi debebant, profectionibus post pacem compositam factis partum fuisse certum est [91]. In mercium etiam vectura, quae per bellum veros terrae reditus conciliaverat, eodem studio pergebatur, quamquam, quae Danicarum navium vexilla ut prae ceteris adhiberentur efficiebant, jam praeterierant. Opificium enim, in quo sors fixa praecipuum est, non tam facile cum alio commutari potest, quam si quod mobilibus po-

90) Cf. *Wiche über den ostindischen Handel* p. 101.

91) *Politisches Journal* 1784. 1785. 1787. variis locis.

tius, (si ita dici licet) perpetuoque usu terendis pecuniis (*circulirendes Capital*) agitur; nam hae sine eo detrimento, quod praediorum, navium et similium alienatio affert, in alio opificio poni queunt. Cum desivissent igitur, quae navium mediarum vexillo usum pepererant, et multi alii, inter quos etiam Americani, et terrae situ et hominum vita maxime idonei mercium vectores nunc primum exorti, huic vecturae operam dare inciperent, magna istius quaestus pars decederet necesse erat; et amplam quidem, sed minus fructuosam sortem Dania in navibus collocatam possidebat.

Si quis nunc quaerat, quae Daniae ex hoc consilio in pecuniarum publicarum statu emolumenta exorta fuerint; num felicitas terrae et divitiae populi per hoc tempus creverint, quo neutrarum partium studium prosperis opum popularium incrementis, tot civitatium opulentia publica bellis plane inhibita, consulere debuisset: quae respondenda sunt, e rebus supra narratis inveniri possunt. Reditus quidem aerarii ad septuagies centena millia accesserant 92). Amplificati nimirum erant auctis ob crescens mercium e coloniis transvehendarum studium exactionibus vectigalium, quae subditi leniter admodum ferebant. Verum et si ob haec non opus erat nova tributa directa, ut vocantur, injungere: non tamen, ut jam supra animadversum est, pecunia-

92) *Göttingisches Magazin. Jahrgang* III. p. 376.

rum publicarum ratio ad veram civitatis opulentiam plane sufficit, cum praecipue redituum multitudinem augere studeat. Deinde negari non potest, Daniam per bella mercium vecturam sibi paravisse, cujus postea pars certe, unus redituum fons, reliqua erat. Tunc etiam plura, quae in terris borealibus gignuntur, praesertim salsamenta Norvegica, ipsis vendentibus, ad mare mediterraneum emebantur; et haec, et, quam tum impetraverat, potestatem merces ex America septentrionali apud se deponendi, ut inde ad mare Balticum pervehendas curaret, mercatura Danica etiam post pacem, ac per aliquod inde tempus retinuit. Sed etiam his probabatur, mercaturam tunc tantum firmam esse, si vel e terrae situ oriatur, vel in iis, quae in ea proveniunt, nitatur. Aucta igitur mercium venditio et fructuosa commercia ab aliis sibi mandata (*Commissionshandel*) aperta sunt, mercaturae per hoc bellum amplificatae emolumenta; verum certe non opus erat tali temporis opportunitate, ut, quae a natura jam indicata, in usum verterentur. Sed quae ex his nata erant, servari poterant; alia vero commoda, ex sola temporum illorum conditione procreata, cum haec praeteriisset, aequo animo mittenda erant. Ita minori civitati semper agendum est, etiamsi majori ob ampliorem opum corporearum (*materielle Kräfte*) multitudinem commercia sibi non propria retinere contingat; sed haec non diutius permanebunt, quam donec major opum corporearum nume-

rus mercaturam vel in suum verumque ordinem redigat, vel sibi arroget suisque commodis subjiciat. Quaevis igitur mercatus via minus recta, quaevis, quae in eo nimia fiunt, minoris civitatis mercaturae eo perniciosiora sunt: quo magis obnoxia incommodis minus virium habent, ut sibi contingentia tueantur. — Sed in his ne negligamus, Daniam huic tempori plurima bene instituta, beneque cauta debere, quae mercaturae terrae convenienti veram utilitatem per longum praebuerunt 93); et singula quaedam ab administratione praecepta libertati certe, qua postea ad opificia evehenda egregio successu utebantur, viam muniverunt 94). Regni administratio inde a medio hoc seculo idoneis actionibus, quae per legatos fiebant, mercaturam firmandam et impedimenta, quae illi aliarum legislationes et vectigalium rationes objecerat, removenda curabat: ita per hoc quoque tempus incepta gnaviter persequebatur; sicut e pacto mercatorio die 19. Octobris a. 1782. facto 95) mercaturae in Russiam agendae privilegia concedebantur, quibus carentes Dani mercatores antea

93) inter alia Octroi 11. Mai 1778, edictum die 4. Augusti 1780. et aliud die 30. Decembr. ejusdem a. ed.

94) Constitut. die 23. Martii 1778. ed. non necesse erat ut illi die 14. Junii 1786. ed. antecederet, tamen eam praeparavit.

95) vd. *Clausenii Recueil des traités de Dannemarc.* pag. 171.

cum Anglis in commercio Russico contendere non poterant.

Attamen, quamquam haec omnia facta sunt, mercaturam per hoc tempus plus validae firmitatis accepisse non recte dixerimus; ejus momentum in industriam et studia civium, ut antea, paucis, quae memoravimus, exceptis, admodum leve erat. Monopolium vero, quod temporis istius opportunitates mercatoribus Danis quodammodo instituerat, id efficiebat, ut ad bonitatem rerum, quas vel natura genuerat, vel ars fabricaverat, emtoribus mittendarum non respicerent; atque ita multa commercia perdiderunt, (quae, si diligentius munera sua obiissent, retinere poterant) simul alienigenae meliores merces venales offerebant. Quod tantus negotiantium exortus est numerus, qui e rerum conditione fructum capere volebant, sed necessario depressi jacebant, simulac conditio illa fugit, fidei totius ordinis mercatorum, quia ista frequentissime fiebant, male consuluit. Quum omnes pecuniae ad exteram mercaturam confluerent, commercium in ipsa terra faciendum et oppidorum mercatus in tenui statu retinebant, ita ut regni opulentiam juvare non quirent. Et quomodo quaeso ea opificiorum ratio, qua opificium unum (nam mercatura etiam in civitate pro opificio est) prae ceteris diligenter ac religiose regebatur, ad reliqua utilem vim exserere poterat? num agricultura et fabricae erigi et restitui quibant, si omnes civitatis opes in unam mercaturam conferri debebant?

Populi vires finibus suis circumscripti sunt; et animi alacritas et laeta virium intentio, quae eos admirando plane modo amplificare possunt, ex ethicis tantum rationibus prodeunt. Verissima est haec observatio et humano generi honorificentissima, quamvis singulos vulgo humilia et sordida quammaxime ad virium amplificationem impellant. Neque per hoc tempus, quae de ordine agricolarum instituendo, de terrae cultura augenda, et de diligentiore piscatuum agitatione praecepta sunt, apparuerunt. Quae in agriculturae utilitatem fiebant, praeparabantur a societate rei rusticae prospiciente; haec, instituta a. 1769, inde ab a. 1775. majorem et extensiorem in illa operam ponebat; ex ipso enim populo orta, posteaque regis cura ab administratione sapienter et acriter sustentata, ea via, qua omnes civitatis emendationes certissime bene procederent, progressa divine tandem exculta est. Sed etiam tum cura de proventu premebatur, quo vetus quoque de frumenti mercatu consilium, inconstantia et infirmitate insigne, sua contulit.

Nec magis verus pecuniarum publicarum status, vel si aeris alieni summam a. 1772. obtinentem ducenties et decies centena imperialium millia constituas, in melius redactus est. Liber, cui fidem detrahi non licet 96), nomina publica apud

96) vd. *Briefe über den neuen Finanzplan* 1786. *Gebhardt in: Urkunden* P. III. prooemium XV. Auctor, inquit, plura mihi in animo habere, quam palam dicere vel volebat vel ei licebat.

peregrinos tum conflata, universa centies et tricies centenis millibus aestimat; nam, quamvis singulas summas tum solvendas pendebant, ab anno 1780. grandes pecuniae a peregrinis, in Brabantia, Bernae, Genuae, Francofurti et Cassellis, mutuo sumserant, neque quicquam de magnis veterum nominum pensionibus inauditum est. Aes alienum apud homines privatos in patria contractum vicies centena millia confecit, et civitatis nomina directa et indirecta apud mensam facta, si vel minima ex iis, quae relata sunt, eligamus, non minus nonagies centenis millibus aestimari debent. Ergo dubitari nequit, quin per hoc tempus civitatis aes alienum increverit; si igitur ex istis auctior quaedam vis, certissima, si divitiis in terra confluentibus opificia sustentavisset et provexisset, solutionis istius mater, prognata non est: tunc decerni potest, an terrae opulentia vera incrementa ceperit. Num auctis reditibus de sortis decrescentis institutione ad nomina sensim expediendia cogitatum est, vel adeo cogitari poterat, dum nomina ipsa tanquam bona et ad agitationem negotiationum majorum, quae civitatem afflictam sanarent, apprime idonea existimabantur?

Quum mensa a. 1773. regiis impensis administrari inciperet, schedularum, quae in perpetuo usu erant, numerus quinquagies centena millia, quarum tricies centena privatis hominibus mutuo datae, non multum superabat. Sed eo tempore, quod hic describimus, ducentics et decics centena

imperialium millia 97), sive, ut ii, qui ceteris omnibus minora tradunt, centies et quinquagies centena millia esse putantur 98); nam praeter administrationis nomina mensa minimum quinquagies sive sexagies centena millia schedularum hominibus privatis commodaverat. Mala, quae, ut supra docuimus, e nimia schedularum, quae in perpetuo usu esse debent, multitudine in opulentiam civitatis necessario redundant, etiam hic, ut ex ipsa rei natura orientia, ingruebant. Cum enim Daniae mercatura maxime floreret, cum aerarium reditibus auctum esset, cum sola Dania in felicissima conditione esse videretur; monetae ratio in commerciis cum peregrinis infructuosa et incerta exstitit. Etiam tum administratio aequalitatem inter nummos et schedulas, quae in subditorum manibus erant, novis speciebus excudendis e constitutione die 2. Januari 1776. ed. reparare conabatur; sed schedularum multitudo, quae jam in perpetuo usu erat, per se nimia apparebat; hinc evenerunt, quae evenire debebant: experiebatur enim administratio, e compluribus pecuniae generibus, ut terrae peculiaribus, in usu receptis melius cedere pejori, et novi nummi eo celerius evanuerunt, quo majore ipsi pretio erant 99). Administratio

97) *Urkunden* P. I. prooemium XX. in nota.

98) *Briefe über den neuen Finanzplan* pag. 56.

99) *Eggers Memoiren über dänische Finanzen*, P. I. p. 197.

mensa Altonae instituenda, qua et singulorum debita singulis transscribi possent (*Girobank*), et quae contra pignora pecuniam collocaret (*Leihbank*), die Octobris 11. a. 1776. id egit, ut firmitas in rebus pecuniariis pararetur; sed illius vis et momentum, in unum paene, at non contemnendum locum redactum, ad universum pecuniarum statum nihil valere et irritum fere esse videbatur. Sed praeterea, originem debens principiis, iis, a quibus ante consilia de pecuniis petebantur, plane oppositis et a magno illo civitatis administratore, qui contraria semper defendebat et tuebatur [100]), retentis, tum demum nobis excutienda erit, cum principia illa, quibus in universum illo tempore feliciter obsequebantur, judicio subjicientur. Fidei et pecuniae praesentis inopia jam a. 1780. sentiebatur. A. 1782. immensum in modum accreverat. Etiam ante pacem cum omnibus rite initam Decembri 1782. schedularum ratio ad centum imperiales, qui dicuntur Banco, collata 142, imo mense Julio a. 1783. 144¾ imperiales valebat.

Ut nimiae illae negotiationes exercerentur, Dania dudum fide a peregrinis indignerat. Usurae nominum ita conflatorum, et perniciosum istud cambiarum negotium, *Wechselreiterei* dictum, magna horum quaestuum mercatoriorum commoda absumserat. Quae huic aeri alieno tandem

100) cj. *Denkwürdigkeiten aus dem Leben P. A. Bernstorfs.* p. 149.

dissolvendo inservirent, in dubio mari vehebantur; et pretia onerum, quae naves apportaverant, valde immutarentur necesse erat, cum post pacem aliis civitatibus mercaturam exercentibus merces e coloniis ipsis sibi advehendi potestas recuperata esset. Luxuria aceruatione schedularum, quae perpetuo usu a subditis terebantur, et lucrorum spe, et incertis de vero pecuniarum statu sententiis, in quibus mercatura syngraphis agenda omnes ordines continebat, horrendam in magnitudinem excrescens, ut argentum praesens et postea schedulae etiam terrae fines migrarent, et pecuniarum a peregrinis creditarum multitudinem augerent, acceleravit. Etiam si incertus ille status non tam inanis nec fundamento plane destitutus fuisset, quid verae opulentiae perniciosius, quam inconstantia illa in subditorum fortunis? Si effeceris, ut homines cito divitiis se abundare credant, et fontem earum opum velut in somniis inventarum, nunquam exarescere certo sperent: dissolutam luxuriam et, quae ex ea gignuntur, in dies augescentia, terrae introduxeris, etiam si fontes isti opinatae opulentiae dudum exhausti fuerint.

Tunc quidem etiam hoc intelligi poterat, an civium fides post publicationem mensae aucta fuerit, an ejus fiducia, licet in hujus instituti usu primarius ejus finis non compareret, increverit. Peregrini schedulas, quibus obruti fuerant, aliis tradere studebant. Hinc assignationes (*Tratten*) in cives fiebant, et pessumdata monetae ra-

tio prohiberi non poterat. Ac si administratio partem eorum, quae plura, quam necessitas ferebat, in perpetuo usu erant, ita resumsisset, ut mensa pecunias privatis hominibus mutuo datas reddendas denuntiaret: major inde subditis sollicitudo et intolerabiliores angustiae ortae fuissent; et subita rerum apud mensam oppigneratarum venditio homines privatos ad incitas redegisset. At ne ipsa quidem administratio habebat, quae huic malo objiceret; pecunias a mensa mutuo acceptas vel subsidiis, quae societatibus, monopoliis instructis, praebuerat, vel veteribus nominibus, quae in ipsa terra contraxerat, expediendis, vel instituendis, quae sero demum sumtus pensatura erant, insumserat. Anno demum 1783. exeunte, cum naves diu exspectatae e coloniis redeuntes merces afferrent, homines privati opes acceperunt, quibus nominum suorum partem exsolverent; et monetae ratio ad 134 evecta; at brevi ad 138 iterum delapsa est. Non igitur obscurum est, licet ista tam vilis monetae ratio magnam partem in subitis pecuniarum angustiis niteretur, veram tamen et hoc diu parantem causam in opulentiae publicae detrimentis quaeri debere; ejusque effectus usque conspici, donec aucta opulentia opes, quae redemtioni schedularum modum jam excedentium sufficiant, adduxerit.

Societatium ad commercia facienda junctarum solutio exspectabatur. Homines privati, qui divitias suas in auctis syngraphis collocauerant, opulentiam sibi perire videbant; et civitatis instituta,

tantas impensas flagitantia, jam ei oneri erant. Syngraphae societatis Indiae occidentalis, per bellum a quadringentorum imperialium ad noningentorum pretium adscendentes, ad centum et quinquaginta impp. pretium detrudebantur. Tandem administratio cum se cogi intellexisset, ut eas redimeret, sortem in aedificiis, navibus et reliquo societatium apparatu fixam, inutilem plane, seu, ut loquuntur, mortuam, retinuit [101]). Similiter societas a mari Baltico et Genua cognominata, cujus syngraphae magni pretii habebantur, aerario tandem molesta fiebat [102]). Ita etiam impensae in societatem canalis curae praefectam administrationi incommodae erant, et privatorum hominum syngraphae (maximam tamen partem non solutae) cum regiis permutabantur, postquam nominum notationes, ut nominati mercatus participes fierent, sufficientes, mercaturae syngraphis agendae mala alimenta praebuerant et syngrapharum pretii imminutio multorum opulentiam perdiderat. Eodem modo syngraphae societatis, ab India orientali appellatae, quae ad mille et octingentos imperiales accesserant, admodum minue-

101) Societate resolutione die 7. Decembr. 1785. edita disjecta, socii pro beneficio habere debebant, quod pro suis syngraphis regias, singulas 260 impp. cum triente in annum acciperent. *Eggers Memoiren* P. I. p. 29.

102) Ex resolutione die 9. Decembr. 1785. ejus syngraphae 100 imperialium regiis 75 impp. redemtae sunt.

bantur; et, quamvis haec per multos annos sensim progressa talem vim nacta erat, ut hoc damnum, quia modum in negotiationibus excesserat, sibi inflictum, sustinere posset; tamen magnopere tum concussa est. Itaque, ut ab altera parte quaestus faciendi cupido et spes ad augendas syngraphas, ita metus et desperatio ad imminuendas momentum habuit. Quam necessarium igitur sit, ut mercatura in solito ordine et sueto cursu contineatur, neque animorum arbitrio et lubidini dedatur, ex istis patet. Civitatis bona in singulorum subditorum bonis consistunt; et si horum opulentia interit, ipsius civitatis conditio corrumpitur. Falso nonnulli putant, ea, quae in terra aliqua huic pereant; alii accedere, et talia detrimenta non interesse civitatis. Sed, si cui divitiae abeunt, opes quas dicimus incorporales (*immaterielle*) in ipso positae exstinguuntur, quae eo sarciri non possunt, quod alius corporeis (*materielle*) ejus divitiis potitus est. Quodnam lapsus tot opulentiorum hominum, qui mercaturae vacabant, ad opificiorum ordines, et in universum ad populi industriam, momentum habuerit; qua ratione auctae operarum et laborum mercedes ob nimium multitudinem schedularum, quae in perpetuo usu esse debebant, cuivis novo acquirendorum, quae terra gignit, et arte conficiendorum modo et studio male obfuerit; qua irruens luxuria omnia devoraverit, quae ad pecunias singulorum amplificandas impendenda erant, atque adeo, reditibus istis desinentibus, ipsam sortem fixam hos parantem cor-

ripuerit: tristi animo e tempore illo revolvimus. Igitur praeteritis annis, specie tam felicibus, per quas civitatis opulentia magna incrementa capere debebat, ita ut auctior victus lautities, in finibus, quos ratio et moderancia scribit, cohibita, subditis invideri certe non potuisset; administratio luxuriam, „quam regnum exhaurire et ad inopiam redigere magno cum dolore rex inaudiverit 103)." lege lata refrenare cogebatur. Quam perniciosa vero sint, quae aliorum exempla (praecipue ubi tam multa, ut in amplificata luxuria, ad imitandum incitant) efficiunt, ex eo patet, quod ipse agricolarum ordo, qui per hoc tempus non ea vitae conditione utebatur, qua ad victum magis opiparum impelli posset, administrationis constitutione a perniciosa rerum profusione, cui indulserat, avocari debebat 104).

Hic erat publicae Danorum opulentiae status, cum tempus illud, quo per bellum in America septentrionali gestum, neutri pugnantium parti faverent, praeteriisset. Civitas non solum magno suo dolore didicerat, schedulis a mensa editis, frequentiorem mercaturam maritimam, commodissimis licet opportunitatibus adjuvantibus, cum exteris agitari non posse 105), sed in se etiam expertura fuerat, civitatis opulentiam

103) Prooemium ad constitut. die 20. Januarii 1783. ed.

104) vd. Constitut. die 12. Martii 1783. ed.

105) *Büsch. kleine Schriften.* P. III. p. 592.

ratione, quae universorum commoda non complectens, in singulis tantum subditorum actionibus et studiis vim suam ponens, stabiliri et fulciri plane nequire. Est enim in unaquaque civitate inter varias rerum conficiendarum rationes modus quidam, ex ipsa earum natura et indole petitus; quem quae turbant, ita tantum populi opulentiae conducere possunt, si alias, quas proxime non tangunt, per alias ad majorem agitationem excitant, ut universorum aequalitas fracta cito restituatur. At si una tantum majore semper nisu intenditur et reliquae negliguntur: conjunctionem atque adeo cognationem cum populi indole exuit; nam quivis populus (et in hoc cernitur peculiaris ejus indoles, quam hodie dicimus *Nationalität*) in se ipso absolutus est et singulari ingenio. Quae vero crescendo quasi se ab ipso sejungunt: eorum amplificatio totum populum non ad altiorem felicitatis gradum evehit; sed, si forte dejiciuntur, eum ruina sua obrutura sunt. Nullum vero opificiorum genus tanta se a populi ingenio avertendi (*sich zu denationalisiren*) indole est, quanta mercatura. Summae igitur potestatis contentiones eo tendere debent, ut cum opificiis, quae e ratione sua populo conveniunt, conjungatur. Etiam hoc mercaturae peculiare est: quod quivis, qui mercatur, proxime ad suas res, reliquorum quaestui oppositas, respicit; hinc fluit difficillimum illud, quod summae in civitati potestati praestandum est: causam omnium cum singuli cujusque causa con-

jungere. Dum hoc non fit, dum mercaturae commodum cum reliquorum opificiorum emolumentis non conciliatur: commoda, quae mercatura, a populo quasi se alienans, opportunitatum ope faciet, singulorum quidem in civitate bona augent, sed dum conjunctio ista non fiat, civitas (ut verba celeberrimi scriptoris mea faciam) non magis ditatur, ac via publica, si currus pecunia onustus in ea vehitur.

Hujusmodi erant divitiae, Danis per tempus, quo medii erant bellantium istorum, redeuntes. Sed quam diversae a populi opulentia sint, quae unice expeti debet a recta pecuniarum publicarum ratione, universa complectente ex superius disputatis clarum esse speramus. Celeriter hae divitiae evanescerent necesse fuit, quia in usu quidem populi erant, sed non in fixa ejus sorte repositae (*zwar bei, aber nicht in der Nation*); neque veremur, ne audaciae notam subeamus, contendentes: populi opulentiam hoc tempore non magis progressam esse, quam redituum publicorum administratio, quae a. 1784. in eodem plane loco erat, a quo a. 1769. discesserat [106]. Ita igitur explicatum esse putamus: quales progressus Daniae opulentia publica per tempus illud, specie faustissimum, fecerit, cum neutrarum in bello partium studium, regis sapientia effectum, opulentiam promittere vide-

106) *Eggers Denkwürdigkeiten aus dem Leben Bernstorfs.* p. 47.

retur, quam animus ejus vere paternus subditis suis paravisset.

A. 1784. novus in historia administrationis rerum publicarum in Dania temporis ordo incepit. Civitatis gubernaculum ad regis filii manus pervenit, qui patris augustissimi vires summo studio et insigni gnavitate, quae in tali aetate omnes in admirationem sui rapiebant et civitatem optime sperare jubebant, sustentavit. Ut ejus consiliarius vir civitati redditus est, in quo summam populus fiduciam ponebat; Dania mature eum magni fecit et dilexit; Europa eum admiratura erat, cum in summis perturbationibus, quas rerum publicarum Francogalliae conversio attulit, eximia cum sapientia atque sublimi dig tate civitatis pacem et tranquillitatem integras servare sciebat. Comiti igitur Ernesto de Schimmelmann pecuniarum Danicarum administratio mandabatur; ipse consilium invenit et sequebatur; quod recte persequendum longi quidem temporis spatium et summam externi et interni regni status tranquillitatem poscebat, sed nusquam iis, quae doctrina vere praecipit, refragans, ad civitatis vires prudenter respiciens et universam ejus salutem spectans, certissime, quantum quidem humana mens futura ante perspicere potest, in temporis cursu ad felicitatis metam adduxisset. Mercaturae commoda cum agriculturae studio et meliore piscatuum exercitatione connexebantur. Civitatis magis debita minuere, quam reditus augere; magis rem pecuniariam et quod aes ad perpetuum hominum

usum flagitabatur, in firmo atque immutabili fundamento collocare, quam administrationi dubia subsidia ad incepta sua reponere per magistratum suum studebat. Societatium certarum dissolutiones, Slesvicensi-Holsaticae mensae institutio, Danico-Norvagica mensa ad solas species comparata, in tributis et vectigalibus mutationes, et alia ad mercaturam et omnia opificia provehenda exornata, cum hoc de pecuniis publicis consilio arcte cohaerentia, ejus administrationem sempiternae gloriae commendabunt; et in his omnibus diligenter legislationem sequebatur, quae agricolarum ordinem mancipio exemit et vincula, liberam opificiorum tractandorum potestatem cohibentia, solvit. Quod momentum hoc de pecuniis publicis consilium in civitatis et populi opulentiam habuerit, cum universum et per singulas partes perduceretur, sed tum demum habuerit; quomodo Dania in eo fuerit, ut metam, exspectatione et fiducia in rege et regni administratoribus posita dignam, contingeret; quomodo denique omnia opificia eodem flore surgerent, usque dum miseris rerum implicationibus extrinsecus manu infestissima sertis hi progressus inhiberentur: in alia hujusmodi commentatione exponere studebimus.

Quamvis diligenter plagulas madidas excussisse nobis videbamur, tamen haec oculos fefellerunt:

Pag. 11 l. 3 a fine lege: *merces apud se deponendi* pro ea imponendi.
— 16 ult. l. constitut*i*onum.
— 18 l. 13 182,99 et lin. 14 125,79.
— 20 — 3 distinctio minima post *fiebat*) delenda.
— 24 — 6 impens*a*rum.
— 25 — 16 poss*i*nt.
— 26 — 1 ingruentibus.
— 28 — 5 retardat.
— 35 — 11 sed etiam.
— 37 — 3 l. *eas* pro ea.
— 54 — 18 permagn*as*.
— — — 3 a fin. exagger*a*rentur.
— 59 — 3 — vale*a*nt.
— 64 — 1 l. *qua* pro quae
— 65 — 13 debent.
— 66 — 21 merc*ium* illat*arum*.
— 68 — 9 pone; pro,.
— 69 — 3 post *mercatum* infer: *induxerunt*.
— 70 — not. Reg*i*um.
— 74 — 7 a fine. fel*i*citer.
— 75 — 13 a fin. commerc*ia*.
— — — 4 — *ista* merc. rati*o*, q...... praefereb*at*.
— 79 — 5 l. *et* pro ut, et l. 10 *et* pro sed.
— 80 — 12 a fin. pollic*ita* *fuerit*.
